# FLORA PERUVIANA, ET CHILENSIS,

## SIVE DESCRIPTIONES, ET ICONES

## *PLANTARUM PERUVIANARUM,*

## *ET CHILENSIUM,*

## SECUNDUM SYSTEMA LINNAEANUM DIGESTAE,

## CUM CHARACTERIBUS PLURIUM GENERUM

## EVULGATORUM REFORMATIS.

*AUCTORIBUS*


**HIPPOLYTO RUIZ, ET JOSEPHO PAVON,**

REG. ACAD. MEDIC. MATRIT. SOCIIS.


## TOMUS I.


SUPERIORUM PERMISSU.

TYPIS GABRIELIS DE SANCHA.

ANNO M. DCC. XCVIII.



MISSOURI BOTANICAL GARDEN LIBRARY. RECEIVED FEB 8 1930

*Nos* Caroli Regis, *Peruae qui Regna videre,*
*Naturaeque dedit gazas, haec serta libentes*
*Augusto capiti peregrinis teximus herbis.*

# PRAEFATIO.

Variis eventibus, rerumque humanarum vicissitudinibus, quae ab anno M. DCC. XCIV, quo in lucem prodiit PRODROMUS, Nova Genera Plantarum Peruvianarum et Chilensium complectens, insperatò contigerunt, intermissa fuit Specierum editio. Anno tandem M. DCC. XCVII. studio praesertim et iteratis D. D. Antonii Porcel, hoc negotium eo tempore procurantis, officiis effectum est, ut Exc. D. Eugenius de Llaguno, Indiarum Administer, reliqua Florae volumina continenter evulgare nobis ex Regis decreto injungeret, cujus decreti executionem cunctis praesidiis juvandi et promovendi cura demandata est D. D. Zenoni Alonso, viro humanissimo, et rerum naturalium, omniumque elegantiorum litterarum apprime studioso, cui novos stimulos addit pro suo effuso in scientias, quarum patronus, et aequus judex est, amore Exc. D. Casparus Melchior de Jovellanos, D. Llaguno in Indicarum rerum, aliorumque munerum supremo Ministerio successor.

Cùm itaque in memoratâ jam Prodromi Praefatione Botanices inter Hispanos fata, et quaecumque ad Expeditionem nostram spectare quammaxime visa sunt, exposuerimus; ea nunc subjungemus, quae ad Specierum primi voluminis, et eorum, quae hunc excipient, usum magis necessaria existimamus.

Quamquam ibidem indicavimus, Specierum descriptiones MM. CCCC., Icones autem M. DCCC. numerum exaequare; conjicimus tamen, illas MMM., has MM. excedere, accedentibus praesertim plantis, quas Alumnus noster, nobisque suffectus Joannes Tafalla, modo jam Academiae Limensis Botanices Professor, ejusque pictor Franciscus Pulgar in dies è Peruvia mittunt, ubi in Hispaniam discessuri eosdem, Regis jussu, eo consilio reliquimus, ut nova detegerent, jacturam plantarum, quam Navis Alcantarensis naufragio, et Macorae incendio feceramus, sarcirent, et dubiis, de quibus inter opus edendum illos consulere nobis necesse foret, satisfacerent; quibus omnibus functi sunt, plurimas descriptiones, et icones mittentes, quas sensim Operi inseremus, aut opportune non acceptas in Appendicem relegabimus *. Cuncta haec abunde nostrarum Specierum numerum supplebunt, quas alii Botanici evulgarunt speciminibus siccis usi, quae sodalis noster Cl. Josephus Dombejus in Galliam detulit; quemadmodum etiam stirpibus per Europae hortos è seminibus propagatis, quae adhuc peregrinantes cùm ille, tum nos ipsi saepius misimus.

Monuimus quoque in Prodromo, nihil mirum esse, si ob librorum commercium saeviente bello interceptum, nonnullis ex Operibus botanicis destitueremur, quae post ipsius belli initium edita sunt, in quibus nostrarum plantarum aliquas alii Scriptores fortasse evulgaverint. Quamobrem, siquas in hac Flora iteratas Lector offenderit, neque incuriae, neque oscitantiae tributurum speramus; siquidem quantum in nobis fuit, id maxime pro virili studuimus, in id diligentiae nervos

* Vix nobis è Peruviâ digressis Tafalla sibi Joannem Manzanilla, optimae spei Adolescentem, ad peregrinationes et reliquos Botanicarum observationum labores adjungendum, et Josephum Rivera in pictoris Pulgar locum subrogandum curavit; qui omnes Regis impensis fructuosam in Huayaquil feracissimas regiones expeditionem jam jam susceperturi sunt.

intendimus, ut nullas stirpes jam notas tanquam novas objiceremus, quantumvis eaedem à nobis primum detectae fuissent.

Cùm igitur ad plantas determinandas, et cum stirpibus ab aliis auctoribus jam in lucem emissis conferendas, libri botanici, qui ad manus erant, aegrè sufficerent; Reg. Horti Botanici libros et plantas, quae in eo coluntur, consulere, Rege ita jubente, nobis licuit, atque etiam opera botanica, quae in Indiarum intimi Ministerii bibliotheca asservantur.

Liberaliter quoque ex sua collectione nobis commodavit quaecumque petiimus, primarius ejusdem Horti Professor, et utriusque nostrûm studiosissimus Botanices olim praeceptor, Medicus Reg. honorar. Casimirus Ortega, cujus consilio, et amicissimis admonitionibus in rebus dubiis ad Opus perficiendum saepius usi sumus: ad quod humaniter quidem ipse, et alacri animo facilem semper se praebuit. Aditum quoque ad suam bibliothecam nobis patere ultro declaravit Cl. Botanicus D. Antonius Josephus Cavanilles, ut Scriptores, qui nobis deessent, prore natâ evolveremus.

Communi autem Expeditionis pecuniâ nobis comparavimus quaecumque opera Matriti venalia prostrabant, aliaque ab exteris regionibus ad nos transmitti sategimus. Porrò nullum non movimus lapidem, ne stirpes ab aliis Botanicis jam publici juris factas denuo obtruderemus.

Qui soli Botanici in Peruviae, et Chilensis Regni littoribus varia vegetabilia investigarunt, fuere Josephus Jussieus, P. Fewilleus, et è Societate Jesu Ignatius Molina; sed illorum nemo Andium fertilissimos et spatiosissimos montes pervasit, in quibus nos maximum plantarum nostri Operis numerum decerpsimus.

Plumierius autem, Jacquinus, et Aubletius, qui Americen, Martinicam, Dominicensem Insulam et Guyanam illustrarunt, de nonnullis quoque nostrarum Specierum, quas in illis tractibus observaverant, in suis operibus egerunt. Forsterus itidem, Vandellius, L'Heritierius, Jussieus (A. L.), Smith, Cavanilles, Lamarck, Vahl et Ortega aliquas etiam plantas, quas nos hîc sistimus, à se descriptas in suis nuperrimis operibus evulgarunt.

Clarissimi Viri è Societate Jesu, Philippus Ludovicus Gilli et Casparus Xuarez, qui Prodromum nostrum, doctissimis commentariis à se illustratum, recudendum Romae curavit, de variis etiam Peruvianis et Chilensibus plantis ob notum usum et vires insignibus in *Observationibus phytologicis* diligentissimè agunt.

Novimus à D. M. Josepho Coelestino Mutis mirabilem prorsus et pene incredibilem Iconum et Descriptionum plantarum Collectionem per novum Regnum Granatense comparatam esse, quarum permultae eaedem fortasse erunt cum nostris Speciebus in Tarma, Huanuco et Panatahuarum montibus collectis.

Verisimilius etiam est, inter copiosa detecta à M. D. Martino Sesseo, Praefecto et M. D. Josepho Moziño, ceterisque Expeditionis Mexicanae Botanicis aliquas nostrarum stirpium reperiri. D. Ludovicus Nee plures absdubio possidebit inter eas, quas per Peruviae et Regni Chilensis littora congessit in itinere, quod post nostrum in Hispaniam reditum circum orbem sub D. Alexandro Malaspina, Expeditionis maritimae Praefectó, et D. Antonio Pineda, strenuo, Botanico suscepit.

Plures praeterea curiosi peregrinatores nonnullas stirpes Peruvianas et Chilenses memorarunt: sed quoniam nullam methodum adhibuerunt, vix locum ullum merentur illorum narrationes, descriptionesque apud naturae Mystas.

Quae cùm ita sint; non dubitamus, pleraque hujus Florae vegetabilia Lectoribus nova adhuc se se proditura, utpote maximam partem in locis asperis montuosisque detecta, ad quae paucissimi Botanici et rerum naturalium Scrutatores, qui Peruviam peragrarunt, nunquam penetravere; quò etiam faciet illorum Icones, quae ex speciminibus siccis, aut plantis in hortis consitis evulgatae sunt, consultò nos omisisse, si eas excipias, quas mancas et imperfectas esse comperiimus; tunc enim inter ceteras interposuimus, scriptorum synonima differentiis specificis adnectentes, quas in locis natalibus adumbraveramus.

Ad Generum classificationem, quemadmodum etiam ad reliquas subdivisiones eundem ordinem, quem Cl. Linnaeus in CLAVIBUS, quas Systematis Vegetabilium Classibus praemisit, mordicus servavimus.

Quotiescumque Gen. Plant. absque Auctoris nomine, aut alio additamento in nomine Generico allegamus; Linnaei Genera ex editione Schreberianâ anni M. DCC. LXXXIX. allegari intelligendum est: quemadmodum etiam in Specierum mentione Linnaei Species Plantar. per Reichard editas anno M. DCC. XCVIII.

Ceterum, ne tam Generum, quàm Specierum descriptiones longiores justo essent, sed potius simplices et perspicuae; vocabula turgentia, loquendi circuitus et oratorium stylum vitare conati sumus, ut in Philosophia Botanica immortalis Carolus Linnaeus faciendum praecepit; *nihil*, inquiens, *oratorio stylo in charactere magis abominabile; nomen specificum tropis rhetoricis figurari non debere, descriptionesque non nisi artis terminis confici.*

Ne etiam in singulis ejusdem Generis Speciebus iterentur, quod alii fecerunt, notae illis omnibus communes, quae ipsius characterem naturalem constituunt; hunc Speciebus praemittere studuimus, et tantummodo in his, quarum aliquae fructificationis partes aberrent, aut anomaliis obnoxiae sint, eas iterum expressimus.

In Generibus, quae plurimis Speciebus constant, habitualem Characterem post naturalem adjecimus. In illis autem à Linnaeo, seu ab aliis auctoribus rite descriptis, Characterem genericum naturalem omisimus, et habitualem specificis descriptionibus praecedere fecimus.

Trivialia nomina imposituri Canones prae oculis habuimus, quos Andreas Murray primus statuit, quosque Philosophiae Botanicae Matriti anno M. DCC. XCII. recusae et annotationibus illustratae inseruit praelaudatus D. Ortega: et notas insigniores praetulimus, à plantarum caulibus, foliis, fulcris et inflorescentiâ petitis; sed cùm Species nimium plures fuerunt, atque adeo hujusmodi praesidia impedita et interclusa experti sumus; tunc ad alia magis vulgaria, vel etiam ad radices, rarissime tamen, confugimus.

Ad Differentias pariter specificas, seu Characteres Specierum differentiales formandos notis distinctioribus et constantioribus usi sumus, quas ipsae partes exhibebant, ex eisdem partibus, quae ad primae Speciei distinctionem adhibitae fuerant, notas ad omnium reliquarum differentiam assumentes; in quo quidem à ratione illâ discessimus, quam alii secuti sunt, in his Speciebus scilicet notas caulis et fo-

liorum adhibendi, in aliis vero inflorescentiae et fulcrorum. Postremo in Definitionibus specificis quam minimum fieri potuit, vocabulorum numerum usurpavimus, sufficientem tamen ad distinguendas à se invicem Species; et quamquam longius interdum praeter votum excurrimus, nunquam, neque in Generibus copiosioribus, duodecim vocabulorum terminos à Linnaeo praescriptos praetergressi sumus.

Quamquam in Philosophia Botanica idem Linnaeus admonuerit, in Generibus *Nomen specificum nullum speciei in suo genere solitariae imponi posse, et erronea esse nomina specifica, quae differentias imposuere plantis in suo genere solitariis*; nobis tamen utile admodum consilium ab hac doctrina recedere visum est, et definitionem specificam à principio condere, non tantum, ut inde formetur idea plantae, si aliquis auctor in suo specierum Systemate insereret, sed etiam ad praecavenda frequentissima dubia, quae Botanicis subeunt, quotiescumque ipsam speciem, cui superstructum fuit Genus, aut aliam novam inventoris descriptione destituti offendunt: quin idcirco differentiam deinceps variare non liceat, prout oporteat, quoties aliae ejusdem Generis species innotescant.

Singulis descriptionibus subjunximus regionem, et solum, ubi unaquaeque Species sponte crescit, tempus, quo illam florentem observavimus, nomen vernaculum ab incolis usitatum, vires tum medicas, tum oeconomicas, siquibus praedita sit, et varias denique aberrationum observationes, quas nonnullae plantae, aut earum partes subeunt. Quibus omnibus sperare fas est, nos duplicem botanices scopum attigisse, Specierum scilicet distinctionem, et usuum, utilitatumque, quas *homines inde percipere* possint, cognitionem, quo omnia beneficentissimi Regis consilia in hac Expeditione decernenda collimarunt.

In Opere adeo longo opportunum visum est, Specierum illorum Generum Icones in praesens praetermittere, quorum aliae in Europa Species etiam veniunt; eas Appendicis loco cum Graminibus seorsim evulgaturi post praecipui Operis editionem, quod rariora tantum, et pretiosiora vegetabilia, arbores scilicet ut plurimum, frutices et suffrutices continebit.

Ut plurium verò ex DCCC figuris jacturam in Navi Alcantarensi factam, earum scilicet, quas Expeditionis Peruvianae Alumni supplendi occasionem nondum nacti sunt, suppleremus; speciminibus siccis, quae in nostris collectionibus possidemus, et nonnullis, quae Cl. Dombejus redux in Hispania reliquit, uti coacti sumus: verùm quoniam autographae descriptiones penes nos erant, et figurae ipsae à dexterrimo pictore D. Isidoro Galvez, qui earum permultas in America è plantis vivis, nobis hîc, ut illic accurantibus, quam maximâ fieri potuit diligentiâ delineatae sunt; eâdem ferme concinnitate et venustate, ac si è vivis plantis expressae fuissent, apparituras confidimus.

In hoc primo volumine praeter tria nova Genera suo loco inserta, Descriptiones CCLXXVII. Specierum complectimur et Icones CVI cum CCXIX plantarum figuris, ad quatuor priores Linnaei Classes spectantium, à variis sculptoribus summa dexteritate et nitore aeri incisis, in quarum plerisque picturas autographas adhibuerunt à D. D. Josepho Brunete, Isidoro Galvez, et Francisco Pulgar in Peruvia delineatas, quas aliquibus ramis et foliis rescissis, seu suppressis Ma-

triti ad majorem simplicitatem redegimus, ut unaquaeque Icon duas aut tres plantas caperet, atque adeo Opus minus voluminosum minori etiam pretio comparari posset. Nonnullae quidem Icones plantam unicam exhibent : tres sunt, quarum singulae quatuor continent, neque tamen ullius magnitudinem naturalem minuimus, si Generis Sancheziae species duae excipiantur. Cui labori incumbunt praefatus D. Isidorus Galvez, et D. Josephus Rubio, ipsi adjunctus.

In fructificationum partibus seorsim exhibitis magnitudinem naturalem retinuimus, ut in reliquis plantarum partibus, ni illarum exiguitate eandem ad distinctiorem demonstrationem augere coacti fuerimus : quod quidem suo loco in Iconum Explicationibus annotavimus.

In Speciebus, quarum fructificationes in plantae figurâ satis perspicuè repraesentatae sunt, earum partes seorsim ostendere negleximus, et tantummodo exhibemus unam alteramve ad Generis distinctionem necessariam, exceptis tamen Speciebus Generum nimis numerosorum, quarum habitus ad distinguendum Genus sufficere potest, ut in Salviis, Calceolariis, Piperibus, et Peperomiis.

Iconum Sculptorum laboribus una nobiscum praefuit Pictor noster, D. Isidorus Galvez, utpote artis apprime peritus, quemadmodum ex quatuor hujus voluminis iconibus, ejus manu incisis, atque ex aliis in sequentibus voluminibus prodituris satis superque patebit.

In variis Classium Iconibus eundem ordinem ac in descriptionibus servare neutiquam potuimus, quoniam figurarum major aut minor magnitudo ad magnas cum exiguis aut mediocribus apte conjungendas nos coëgit ; sed cùm descriptiones primum, deinde icones omnes continenti serie *collocatae sint ; id nullum* Lectori negotium facesset, qui in singulis descriptionibus iconis numerum, in iconibus plantae nomen, cui descriptio respondet, inveniet.

Quamvis novorum Generum Specierum descriptiones jam notorum Generum Specierum descriptionibus in secundo et sequentibus voluminibus praemittere, ut in Prodromo innuimus, statueramus ; magis è re visum est, eas suis locis inserere. Non secus à proposito recessimus plantarum americanarum, etsi jam cognitos, denuo tamen ex autopsia reformatos characteres genericos edendi ; quapropter eos suis quoque locis in hoc Opere interponere decrevimus proxime ante Specierum descriptiones, deinceps nihilominus seorsim edituri, ut Characterum acquisitio facilius his evadat, quibus in universum Opus sumptum impendere non liceat.

Interea prout volumina prodibunt, Compendium, seu Vegetabilium, quae in illis continebuntur, Systema in fasciculis separatim evulgabimus, in primo quidem omnium Specierum novorum Generum, simulque quatuordecim jam notorum, et in Prodromo comprehensorum differentias specificas praemittentes. Initium autem capiemus à singulorum characteribus differentialibus, quibus accedent eorundem Specierum differentiae, uniuscujusque absolutissima historia, et indicatio usuum praesertim et virium, quas ex Indorum, Medicae artis professorum, aliorumque peritorum et curiosorum hominum ore, aut nostris observationibus, et quibus interfuerimus, experimentis didicimus, et aliquas demum annotationes, prout opus fuerit, addemus.

Cunctas novorum Generum Species Generum notorum novae consequentur,

eodem servato ordine ac in praecedentibus, suppresso tamen Charactere differentiali, qui in Linnaei et aliorum operibus invenitur; sed singulas novorum Generum, quae adhuc edenda, et quo pertinebunt, collocanda supersunt, Character differentialis praecedet.

Ad faciliorem hujus Operis Lectorum usum, adjungemus non modo Generum et Specierum Indicem Botanicum, sed etiam nominum vernaculorum Elenchum, illarum quidem plantarum, quae nomine sive ab Indis, sive ab Hispanis imposito praeditae sint. Posthaec Auctorum, quibus ad plantas comparandas determinandasque usi sumus, Catalogus adjicietur.

Postremo ne Operis voluminum numerus nimis excresceret, latino tantum sermone illa evulgare aequum existimavimus, quamvis Prodromum edentibus utraque linguâ prodere, ut in ipso Prodromo fecimus, animus erat.

# CLASSIS I.

# MONANDRIA MONOGYNIA.

## CANNA. Linn. *Gen. pl. p. 2.*

### *CANNA panicvlata.* Icon. I. *Fig. a.*

1. C. foliis ovatis subtus lanatis argenteis, petalis interioribus brevioribus.

Radix ramosa, fasciculata, fibrillosa.

Culmi plures, teretes, erecti, biorgyales.

Folia alterna, petiolata, ovata, lineata, nervosa, subtus lanata, argentea.

Petioli semivaginantes.

Panicula terminalis, patens.

Bracteae lanceolatae, concavae, marcescentes.

Petala sex, coccinea: *tria exteriora* majora, aequalia; *interiora* inaequalia.

Capsula obovato-oblonga, echinata, magna.

Semina subglobosa, nigricantia, nitidiuscula.

*Habitat* in *Peruviae* hortis et silvis ad vicum *Chinchao*.

*Floret* à Majo ad Augustum.

*Vernacule Achira cimarrona*, id est, *Achira silvestrem* nuncupant.

*Usus*: Radices edules sunt, sed ferè insipidae.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx supra germen. 3. Corolla, Nectarium et Stamen. 4 Nectarium cum Stamine. 5 Capsula transversim secta. 6 Semina.

### *CANNA indica.*

2. C. foliis ovato-oblongis, laciniis corollae subaequalibus.

*Canna* (*indica*) foliis ovatis utrinque acuminatis nervosis. Linn. *Sp. pl. p. 2.*

Radix tuberosa, oblonga rotundaque, oculata.

Culmi plures, erecti, teretes, geniculati.

Folia alterna, petiolata, ovata oblongaque, utrinque attenuata, glabra, nitidiuscula, lineis parallelis inflexis striata: *tenera* convoluta.

Petioli convoluti.

Racemus terminalis, simplex.

Bracteae spathaeformes; *superiores* ovatae; *inferiores* longissimae, lanceolatae.

Calyx lutescens, rubescensque.

Corolla coccinea: *laciniis exterioribus* subaequalibus.

Capsulae scabro-echinatae, trigonae, trisulcae.

Semina globosa, nigra, nitida.

*Colitur* in *Peruviâ*.

*Floret* per totum ferè annum.

*Vernacule Achira* nominatur.

*Usus*. Peruviani plantae radices diversimodè conditas edunt.

### *CANNA iridiflora.*

3. C. foliis ovatis acuminatis, laciniis tribus corollae interioribus majoribus.

Radix fasciculata, fibrillosa.

Culmi plures, triulnares, erecti, teretes, articulati.

Folia alterna, petiolata, ovata, acuminata, acumine subspirali, nervosa, lineata, supra nitida, glabra, subtus lanata, albicantia.

Petioli à geniculo ad geniculum culmum involventes, margine superiori plicati.

Racemi gemini, bipartiti.

Pedunculi compressi.

Pedicelli curvati, uniflori, nutantes; *bracteolâ* spathaceâ, ovatâ, minimâ suffulti: ad basim singuli pedicelli *filum* unicum, aliquando duo, subulato-lineare, saepe bipartitum.

Bracteae spathaceae, lanceolatae, convolutae.

Calyx triphyllus, persistens.

Corolla infundibuliformis; *Tubus* calyce triplò longior. *Limbus* sexpartitus; *laciniis tribus exterioribus* brevioribus, lanceolatis, convolutis, erectis, aequalibus, purpurascentibus: *interioribus tribus* oblongis, majoribus, latioribus, patentibus, rubris.

Nectarium petaloideum, bipartitum, figurâ et longitudine petalorum interiorum, basi variegatum: *laciniâ*, cui *Anthera* insidet, lanceolatâ, revolutâ; *alterâ* longiore, bifidâ, reflexâ.

Stylus linguaeformis, basi variegatus.

Capsula oblonga, trigona, maxima, muricata.

Semina globosa, fusca.

*Habitat* in *Peruviâ* ad vicum *Pillao*, ubi colitur.

*Floret* à Majo ad Octobrem.

*Vernacule Sumac-Achira*, id est, *Ach. formosam.*

*Usus*: Ad hortorum ornatum.

## AMOMUM. Linn. *Gen. pl. p. 3.*

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* tubulosum, tridentatum: *denticulis* ovatis, erectis; superum, persistens.

Cor. infundibuliformis. *Tubus* calyce longior. *Limbus* tripartitus: *laciniis* ovatis, aequalibus, patentiusculis.

*Nectarium* fauci corollae insertum, bilabiatum: *labium inferius* corollae longitudine, trifidum; *laciniis* subrotundis: *labium superius* corollâ brevius, antheram gerens, integrum, angustius.

Stam. *Filamenti vices* gerit labium superius nectarii, cui *Anthera* oblonga, bipartita adnata.

Pist. *Germen* inferum, obovatum, trigonum. *Stylus* filiformis, altitudine antherae, quâ semicinctus. *Stigma* capitatum, emarginatum.

Peric. *Capsula* obovata, trigona, trilocularis, trivalvis, coriacea, calyce coronata, angulis infernè dehiscens.

Sem. plura, trigona, pulpâ filamentosâ involuta.

### *AMOMUM* racemosum. Icon. I. *Fig. b.*

1. A. Scapo spathis oblongis tecto, racemo composito oblongo.

Radix ramosa, fasciculata, fibrillosa, tuberculata, oculata, odore saporeque grato.

Culmi plures, simplices, teretes, geniculati, erecti, biulnares.

Folia alterna, petiolata, oblonga, glabra, lineata, nervosa, erecto-patentia, 1-3pedalia, latitudine bipalmari.

Petioli convoluti.

Scapi plures, teretes, striati, erecti, pedales; spathis oblongis, acutis, convolutis, nervosis vestiti.

Racemus compositus, oblongus.

Pedunculi sparsi, 2-4flori, spathis ovatis, concavis, marcescentibus suffulti.

Pedicelli ad basim stipati spathâ tubulosâ, profundè bifidâ, marcescente; laciniis ovatis.

Calyx ruber.

Corolla et *Nectarium* luteum.

Capsula nigra, leviter striata.

Semina grisea, fragrantia, acria, oleosa.

*Habitat* copiosè in *Peruviae* silvis ad vicos *Cuchero*, *Chinchao*, *Muña* et *Pillao* locis umbrosis.

*Floret* Aprili et Majo.

*Vernacule Achira de monte.*

*Explic. Icon.* 1 Flos spathâ et bracteâ subjectis. 2 Capsula calyce coronata. 3 Eadem cum calyce dehiscens. 4 Semina.

### *AMOMUM thyrsoideum.* Icon. II.

2. A. Scapo spathis oblongo-ovatis vestito, spica conico-thyrsoidea.

Radix tuberosa, fasciculata, paleaceo-albicans, variè intorta, fibrillis plurimis adspersa.

Culmi plures, teretes, erecti, striati, geniculati, aliquantulum declinati, triulnares.

Folia alterna, oblonga, acuminata, acumine subspirali; glabra, lineata, nervosa, pedalia; *inferiora* gradatim minora.

Petioli convoluti.

Scapi plures, teretes, erecti, striati, semipedales; spathis convolutis, oblongo-ovatis, striatis, rubris undique tecti.

Flores in spicam conico-thyrsoideam digesti; *spathis* ovatis concavis, puniceis distincti.

Calyx incarnatus, ad basim spathâ tubulosâ, bifidâ, rubrâ; laciniis ovatis.

Corolla lutea.

Nectarium luteum: *laciniis* subrotundis, intermediâ bifidâ, ad basim denticulo utrinque adnato.

Germen oblongum.

Capsula oblonga, magna, rubra, postremò purpureo-nigra.

Semina grisea, aromatica, acria.

*Habitat* copiosè in *Peruviae* silvis ad vicos *Cuchero*, *Chinchao* et *Pozuzo* locis umbrosis humidisque.

*Floret* Aprili, Majo et Junio.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla cum Nectario. 3 Nectarium. 4 Pistillum. 5 Capsula. 6 Semina.

## COSTUS. Linn. *Gen. pl. p.* 3.

### character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* tubulosum, parvum, trifidum: *laciniis* ovatis; superum, persistens.

Cor. *Petala* tria, oblongo-lanceolata, obtusa, concava, aequalia; *supremum* latius.

*Nectarium* monophyllum, magnum, tubulosum, curvatum, ventricosum, bilabiatum. *Labium inferius* latius, carinatum, trifidum: *laciniis* subrotundis, reflexis, intermediâ trifidâ. *Labium superius* oblongo-lanceolatum.

Stam. *Filamenti vices* gerit Nectarii superius labium, cui *Anthera* oblonga, bipartita adnata.

Pist. *Germen* inferum, obovatum, trigonum. *Stylus* filiformis, longitudine antherae. *Stigma* compressum, subinfundibuliforme, squamulâ obovatâ, ad basim emarginatâ.

Peric. *Capsula* obovata, triquetra, carnosa, calyce coronata, trilocularis, trivalvis.

Sem. plura, trigona, *pulpâ* filamentosâ involuta, nitida.

*Obs.* Nectarium in diversis aliquantulum variat.

### *Habitus.*

*Radix* fasciculata, tuberosa. *Culmi* plures, erecti, articulati. *Folia* sparsa, lineata, nervosa. *Petioli* vaginantes. *Flores* terminales, densè spicati, bracteis obvallati.

### *COSTUS scaber.* Icon. III.

1. C. floribus in thyrso conico, bracteis ovatis adpressis, corollis semiclausis.

Radix tuberosa, fasciculata, fibrillosissima: tuberculis longis, geniculatis, tortuosis.

Culmi plures, teretes, erecti, pubescentes, articulati, retrorsum scabri, biulnares.

Folia sparsa, lineata, nervosa, subpedalia, integerrima, undulata, acuminata; supra glabra, nitidiuscula; subtus mitissima, pubescentia: *intermedia* oblongo-obovata, reliquis latiora, patentia: *superiora* sublanceolata, dependentia; *inferiora* deflexa; *infima* subrotundo-ovalia.

Petioli vaginantes, pubescentes.

Vaginae post foliorum delapsum scabrae, ore purpurascentes.

Flores in thyrsum conicum, brevem, rubicundum, termi-

nalem; plurimis *bracteis* imbricatis, unifloris, ovatis, latis, integerrimis, puniceis, nitidis, leviter pubescentibus, apice deflexis compositum. *Bractea altera* minor sub singulo flore, concavo-carinata, calyce brevior, rubro-punicea.

CALYCES rubri.

COROLLA lutea: *Petala* oblonga, pellucida, calyce quadruplò longiora.

NECTARIUM subringens, petalorum ferè longitudine, infernè tubulosum: *Labium inferius* superiori triplò latius, trifidum; *laciniâ* mediâ tripartitâ; *laciniis* omnibus ovatis, subreflexis: *Lab. superius* lanceolatum, concavo-carinatum, erectum, integerrimum, labio inferiori semiamplexatum.

STIGMA compressum, subinfundibuliforme, ore pubescens, ad basim squamulâ furcatâ munitum.

CAPSULA alba, carnosa.

SEMINA nigra, *pulpâ* albicanti involuta, nitida.

*HABITAT* copiosè in silvis ad *Peruviae* vicos *Pillao, Chinchao, Cuchero*, et *Pozuzo*.

*FLORET* Septembri et Octobri; Majo etiam et Junio floridam in *Cuchero* et *Macora* vidimus.

*Explic. Icon.* 1 Bractea exterior. 2 interior. 3 Capsula calyce coronata. 4 Eadem dehiscens. 5 Semina.

### *COSTUS LAEVIS.*

2. C. floribus in thyrso conico, bracteis lanceolatis apice incurvis, corollis patentibus.

RADIX tuberosa, fasciculata; fibrillis plurimis longis; tuberculis oblongis, geniculatis, oculatis, intortis.

CULMI plures, teretes, erecti, glabri, laeves, biorgyales.

FOLIA sparsa, lanceolata, acuta, lineata, nervosa, integerrima, subundulata, utrinque glabra, ferè pedalia: *inferiora* gradatim minora, oblongiuscula, deflexa: *intermedia* patentia: *superiora* erecta, breviora.

PETIOLI vaginantes, glabri, laeves, ore purpurei.

FLORES in thyrsum conicum, obovatum, acuminatum, *bracteis* imbricatis, unifloris compositum. *Bracteae* lanceolatae, infernè rubrae, supernè virides, incurvae, apice strictae. *Bractea altera* sub singulo flore, carinata, rubra, calyce brevior.

CALYX ruber.

COROLLA: *Petala* tria, basi nectarii adnata, lanceolata, concacava, calyce sextuplò longiora, erecta, nectario paulò breviora, nitida, luteo-carnea: *superius* reliquis duplò latius.

NECTARIUM maximum, ventricosum, subringens, bilabiatum, in centro rubrum, lineis carneo-lutescentibus striatum: *Labium inferius* magnum, concavo-carinatum, trifidum; *laciniis* subrotundis, *intermediâ* trifidâ: *Labium superius* oblongum, supernè angustatum, integerrimum.

STIGMA compressum, subinfundibuliforme, bilobum, infernè squamulâ obovatâ, subtriangulari, emarginatâ.

CAPSULA obovato-oblonga, triquetra, carnosa.

SEMINA trigona, pulpâ filamentosâ subinvoluta, nitida, nigra.

*HABITAT* in *Peruviae* nemoribus ad vicum *Pillao* juxta *Chacahuassi* locis umbrosis humidisque.

*FLORET* Septembri, et Octobri.

### *COSTUS ARGENTEUS.* ICON. IV.

3. C. floribus in thyrso oblongo, bracteis dependentibus, corollis patentibus.

RADIX fasciculata, fibrosa: *fibris* longissimis.

CULMI plures, teretes, erecti, articulati, biorgyales, nonnunquam è basi thyrsi ramulos breves emittentes.

FOLIA sparsa, oblongo-obovata, acuminata, basi angustata, integerrima, laevia, supra glabra, subtus argentea, pubescentia, nitidiuscula, carinata, dependentia.

PETIOLI vaginantes, culmos vestientes.

FLORES in *thyrsum* terminalem, tripalmarem, oblongum, supernè attenuatum, plurimis *bracteis* imbricatis compositum; intra bracteas tres flos unicus.

BRACTEAE *exteriores* majores, oblongae, acutae, è medio ad apicem reflexae, virides, infernè concavae, lutescentes; *interiores duae* lanceolatae, carinatae, luteae.

SPATHA tubulosa, anceps, bifida sub singulo germine.

CALYX luteo-viridis.

COROLLA lutescens. *Petala* lanceolata, obtusa, per tubum nectarii decurrentia.

NECTARIUM magnum, tubulosum, curvatum, bilabiatum: *Labium inferius* latum, carinatum, trifidum; *laciniis* plicato-fimbriatis; *mediâ* ovatâ; *lateralibus* subrotundis deflexis: *Labium superius* subpanduraeforme, basi angustatum, apice plicato-fimbriatum, longitudine petalorum, eis angustius, lutescens, villosum.

SEMINA plura, trigona, in *pulpâ* filamentosâ albâ nidulantia, nigra, nitida.

*HABITAT* copiosè in *Peruviae* nemoribus ad vicos *Chinchao* et *Cuchero* locis umbrosis et humidis.

*FLORET* Augusto, Septembri et Octobri.

*VERNACULE Purum-piña*, id est *Falsam Pineam.*

*Explic. Icon.* 1 Capsula hians. 2 Semina.

## MARANTA. LINN. *Gen. pl. p.* 4.

### *MARANTA CAPITATA.* ICON. V.

1. M. culmo simplici apice florifero, capitulo globoso depresso.

RADIX ramosa, fibrosa.

CULMUS simplex, teres, erectus, nudus, longitudine foliorum, in summitate florifer, purpurascens.

FOLIA radicalia, longè petiolata, ovato-oblonga sublanceolataque, acuminata, integerrima, glabra, basi inaequalia, lineis parallelis, incurvis notata.

PETIOLI teretes, ultra medium curvati.

FLORES in capitulum globosum, depressum collecti, nutan-

tes ; *bracteis* ovato-lanceolatis , acutis , integerrimis , persistentibus , viridi-luteis , longitudine ferè florum , distincti.

CALYX : *Perianthium* triphyllum ; *foliolis* lanceolatis, concavis ; persistens , superum , albicans.

COROLLA monopetala, infundibuliformis, ringens: *Tubus* subcylindricus , inflexus , basi incrassatus. *Limbus* sexfidus: *laciniis tribus exterioribus* ovatis, aequalibus , paulò brevioribus , albidis : *tribus interioribus* luteo-fulvis , vices nectarii gerentibus , quarum *laterales duae* ellipticae integrae : *suprema* emarginata.

STAMINA : *Filamentum* membranaceum , angustum , laciniae corollae simile. *Anthera* lineari-oblonga.

PISTILLUM : *Germen* obovatum , trigonum , inferum. *Stylus* simplex, longitudine corollae. *Stigma* obsoletè trigonum.

PERICARPIUM : *Capsula* obovata , trigona , trisulca , triloculares , trivalvis.

SEMINA solitaria , ovata , rugosa , dura.

*Obs.* Laciniae interiores corollae, *Nectarium* propriè repraesentant , saepius lutescentes , rarius fulvae; exteriores albo-luteae.

*HABITAT* in umbrosis et humidis ad *Cuchero* et *Pozuzo* vicos.

*FLORET* Julio, et Augusto.

*VERNACULE Achira de monte* , id est, *Achira montana*.

*Explic. Icon.* 1 Flos inversus. 2 Idem calyce destitutus. 3 Nectarium cum stamine et pistillo. 4 Capsula cum calyce. 5 Eadem per medium secta. 6 Semina.

### *MARANTA LATERALIS.*

2. M. culmo simplici ad medium florifero, capitulo globoso.

*HABITAT* in *Peruviae* nemoribus ad *Cuchero* vicum locis humidis et umbrosis.

*FLORET* Julio , et Augusto.

## BOERHAAVIA. LINN. *Gen. pl. p. 7.*

### *BOERHAAVIA SCANDENS.*

1. B. caule scandente , foliis cordatis , floribus umbellatis triandris, pedicellis longis apice incurvis.

*BOERHAAVIA* (*scandens*) caule erecto , floribus diandris, foliis cordatis acutis. LINN. *Sp. pl. p. 7.* JACQ. *Hort. Vindob. t. 1. pag. 2. tab. 4.*

PLANTA fruticosa , glaberrima , glauca.

RADIX ramosa , fibrosa.

CAULIS biorgyalis, scandens, fragilis, subdivisus , (id est in dichotomias alternas , inaequales absque ordine ) , teres, nodosus, saepe violaceus , articulationibus praesertim leviter striatus.

RAMI consimiles.

FOLIA opposita , petiolata , cordata, obtusa acutaque cum brevi acumine , integerrima , venosa , basi parum inaequalia , carnosa , deflexa , obsoletè ciliata.

PETIOLI canaliculati.

PEDUNCULI axillares terminalesque, longi , filiformes , 5-6-7-flori.

FLORES umbellati , involucrati.

INVOLUCRUM *foliolis* 4. 5. 6. ovato-lanceolatis , caducis.

PEDICELLI in fructu apice incurvi , nonnulli 2-3flori ; intermedius aliquando 4florus.

COROLLA violacea , infundibuliformis. *Tubus* curvatus , tenuis , basi ventricosus , obovatus , crassus , crescens , ultra coarctatus , persistens. *Limbus* 5fidus , erecto-patens, plicatus : *laciniis* emarginatis.

NECTARIUM cyathiforme , membranaceum , germen ambiens , parvum , marcescens , persistens.

STAMINA : *Filamenta* tria, filiformia, ori nectarii insidentia, infernè tenuissima , coarctationi tubi adglutinata , corollâ longiora , aequalia , declinata. *Antherae* assurgentes, subrotundae, didymae.

PISTILLUM: *Germen* obovatum. *Stylus* filiformis, longitudine et situ staminum. *Stigma* globosum , papillis exasperatum.

PERICARPIUM è basi corollae formatum , clavatum , glandulosum , decem-striatum , induratum, nigrescens.

SEMEN unicum, clavatum.

*Observatio.* Corolla ad coarctationem marcescens , basis persistens: aliquando 6-fida, tetrandra.

*HABITAT* in *Peruviae* sepibus et arvis ad *Huanuci* , *Limae* et *Chancay* Provincias.

*FLORET* per totum ferè annum.

*VULGO Yerba de la Purgacion.*

*VIRES ET USUS.* Peruviani decocto et infusione in gonorrhaea frequenter utuntur.

*Obs. 1.* Hoc Genus differt à *Calyxhymeniae* Genere absentiae calycis ; reliquis autem notis genericis et habitu ambo Genera conveniunt.

*Obs. 2. Boerhaaviae* Genus potiùs ad tertiam Classem systematis Linnaei prope *Valerianae* Genus, quàm ad Monandriam pertinet.

### *BOERHAAVIA HIRSUTA.*

2. B. caule procumbente diffuso , foliis ovato-cordatis undulatis repandis , floribus triandris.

*BOERHAAVIA* ( *hirsuta* ) caule laevi diffuso pubescente , foliis ovatis repandis. LINN. *Sp. pl. p. 7.* JACQ. *Hort. Vindob. V. 1. pag. 3. tab. 7.*

PLANTA hirsuta , viscosa.

RADIX ramosa , fibrosa , albicans.

CAULIS herbaceus , infernè ramosus , prostratus , diffusus, fragilis , geniculatus, teres , laeviter striatus.

RAMI consimiles , subdivisi ( id est alternatim dichotomi. )

FOLIA opposita , petiolata , ovato-cordata , acuta obtusaque cum brevi acumine, repanda , undulato-plicata, venosa, basi inaequalia , parum obliqua, altero minori.

PEDUNCULI axillares terminalesque , subdichotomatim divisi, filiformes , multiflori; bracteolis subulatis suffulti.

FLORES umbellati, parvi, subsessiles, involucrati, totidem foliolis subulatis, deciduis.
COROLLA purpurea, minima. *Tubus* vix ullus. *Limbus* subquinquefidus, plicato-patens.
STAMINA tria.
SEMEN obovatum, pentagonum, scabrum, fuscum.
*HABITAT* in *Peruviae* arenosis, arvis, ruderatis et cultis ad *Huanuci*, *Limae* et *Chancay* Provincias.
*FLORET* per totum ferè annum.
*VULGO Pegajosa.*

## ACOSTA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 1. ICON. I.

*ACOSTA ACULEATA.* ICON. VI. *Fig. a.*

1. A. ramis sarmentosis aculeatis, foliis oblongis, spicis congestis.

FRUTEX ramosissimus.
CAULIS teres, infernè ramosus.
RAMI teneri longissimi, scandentes, teretes, aculeati.
ACULEI recurvi, fragiles.
FOLIA alterna, petiolata, pleraque oblonga, acuminata, repanda, integerrima, glabra, nitida, coriacea.
PEDUNCULI axillares, breves, spicati, congesti.
FLORES conferti, sessiles; bracteolis subulatis suffulti.
COROLLA alba.
FRUCTUS luteus, magnitudine *Pyri Mali.*
SEMINA fulva.
*HABITAT* in *Peruviae* nemoribus ad *Chinchao* vicum, et *Machaynio* et *Macora* praedia.
*FLORET* Augusto.
*Incolae* ob similitudinem fructuum cum *Achras Caimito* fructibus *Caimito de monte* nuncupant, eosque avidè utpote grati saporis edunt.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem tubo calycis per medium secti inserta. 5 Pars calycis inferior scissa cum Stylo et tubo Corollae naturaliter ab apice ad basim fisso, terminato nectario et antherâ octo-undulatâ. 6 Nectarium cum antherâ anticè visum. 7 Pistillum. 8 Pomum per medium sectum. 9 Semen.

# DIGYNIA.

## JARAVA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 2. IC. I.

*JARAVA ICHU.* ICON. VI. *Fig. b.*

1. J. foliis involutis subulatis, spica paniculata.

PLANTA caespitosa.
RADIX fibrosissima, albicans.
CULMI plurimi, erecti, bipedales, teretes, geniculis purpurascentibus.
FOLIA involuta, subulata, retrorsum scabra, leviter striata.
SPICA longissima, composita spicis oblongo-cilyndricis, in flore adpressis, in fructu patulis.
FLOSCULI breviter pedunculati.
SEMINA fulvescentia.
*HABITAT* in alpibus (vernaculè *Punas de los Andes*) *Cantae, Huarochiri, Xauxae, Huancavelicae, Tarmae, Huanuci, Huamalies* et aliarum Provinciarum Regni Peruviani.
*FLORET* per totum ferè annum.
*VERNACULE Ichu* et *Ocssa* nuncupatur.
*VIRES ET USUS*: In *Huancavelicae* fodinis hujus graminis frequens usus est ad argenti vivi extractionem, et ex eo Indi storeas, aliaque texunt, domuumque et tuguriorum culmina tegunt. Tenera herba in pabulum valdè nutriens venit bobus. Nos, ut ceteri viatores saepius eam adhibuimus ad ciborum coctionem, et taedarum loco ad lumina artificialia, per frigidissima et deserta loca peregrinantes.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Flos à calyce liber. 4 Corolla. 5 Stamen. 6 Pistillum. 7 Corolla semen involvens. 8 Semen, (omnia haec aucta.)

# CLASSIS II.

# DIANDRIA MONOGYNIA.

## JASMINUM. Linn. *Gen. pl. p.* 12.

### *JASMINUM lanceolatum.* Icon. VII. *Fig. a.*

1. J. foliis oppositis lanceolatis.
Planta suffruticosa.
Radix fasciculata, fibrillosa, albicans.
Caulis subbipedalis, erectus, teres, simplex.
Folia opposita, subsessilia, lanceolata, utrinque attenuata, integerrima, patentia, apice reflexa.
Pedunculi axillares terminalesque, breves, uniflori.
Calyx quinquefidus; *laciniis* subulatis.
Corolla calyce multò longior, alba, subpurpurascens. *Tubus* tenuis, supernè sensim ampliatus. *Limbus* quinquepartitus; *laciniis* oblongo-obovatis, patentibus.
Stamina duo: *Antherae* intra tubum.
*Observ. Pericarpium* maturum non offendimus; *Germen* adultum tantum observavimus.
*Habitat* in silvis *Pozuzo* locis umbrosis.
*Floret* Septembri.

### *JASMINUM grandiflorum.*

2. J. foliis oppositis pinnatis: foliolis extimis confluentibus. Linn. *Sp. pl. p.* 15.
*Colitur* in Hortis Peruvianis.
*Floret* per totum ferè annum.
*Vulgo Jazmin.*
*Usus.* Foeminae floribus inapertis ad capitis ornatum et cultum vespere utuntur, et cum Flores noctu explicantur, gratissimum odorem spirant. In *mixtura* cum aliis floribus Jasmini flores adhibent.

## VERONICA. Linn. *Gen. pl. p.* 15.

### *VERONICA serpillifolia.*

1. V. racemo terminali subspicato, foliis inferioribus oppositis subrotundis crenatis trinervibus: superioribus alternis ovatis.
*Veronica* racemo terminali subspicato, foliis ovatis glabris crenatis. Linn. *Sp. pl. p.* 29.
Planta herbacea.
Radix fibrosa.
Caules plurimi, diffusi, filiformes, repentes, divisi, teretes, purpurascentes, supernè pubescentes.
Folia *inferiora* opposita, breviter petiolata, patentia, subrotunda, trinervia et quinquenervia, crenata: *superiora* alterna, sessilia, ovata, integerrima, leviter ciliata.
Flores terminales, racemoso-spicati, singulus è singula axilla, solitarius, pedunculatus.
Pedicelli longitudine ferè foliorum, filiformes.
Corolla violacea: *laciniâ* minori albâ; tribus reliquis violaceo-caeruleis, lineatis.
Semina obovato-oblonga, fulva, hinc convexa, inde concavo-umbilicata.
*Habitat* in ruderatis, versuris et humidis locis frigidis *Pillao.*
*Floret* à Junio ad Septembrem.

### *VERONICA beccabunga.*

2. V. racemis lateralibus, foliis ovatis planis, caule repente. Linn. *Sp. pl. p.* 30.
*Habitat* in humidis et scaturiginibus *Limae* et *Huanuci.*
*Floret* per totum ferè annum.

### *VERONICA rotundifolia.*

3. V. floribus solitariis, foliis orbiculato-reniformibus crenatis, caule filiformi repente.
Planta herbacea, hirsuta.
Radix fibrosa.
Caulis filiformis, tenuis, ramosus, teres, purpureus, repens, articulationibus radicans.
Folia duo, tria, saepè unicum è singulo geniculo, longè petiolata, subpeltata, orbiculato-reniformia, profundè crenata, utrinque hirsuta.
Pedunculi axillares, solitarii, petiolis duplò breviores, uniflori.
Calyx: *Perianthium* campanulatum, quadripartitum: *laciniis* lanceolatis acutis; persistens.
Corolla roseo-purpurea, rotata: *Tubus* longitudine ferè calycis: *Limbus* quadripartitus, planus: *laciniis* ovatis; *lateralibus* minoribus; *infimâ* angustiore, huic oppositâ latiore.
Stamina: *Filamenta* tria, subulata, incurva, longitudine corollae. *Antherae* oblongae.
Pistillum: *Germen* obcordatum, compressiusculum, villosum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum, saepius persistens. *Stigma* truncatum, simplex.
Pericarpium: *Capsula* obcordata, apice magis compressa, bilocularis, bivalvis; *Dissepimento* contrario.
Semina plurima, oblonga, parva, hinc convexa, inde concava.
*Obs. Flores* nonnullos quinquefidos, staminibus quatuor saepè offendimus: in corollis quadrifidis stamina tria semper adsunt.

*Habitat* copiosè in *Peruviae* uliginosis ad *Pillao* vicum.
*Floret* Junio, Julio, et Augusto.

### *VERONICA peregrina.*

4. V. floribus solitariis, foliis lineari-lanceolatis integerrimis; inferioribus subserratis, caule erecto folioso et florifero.
*Veronica* floribus solitariis sessilibus, foliis lanceolato-linearibus, glabris, obtusis, integerrimis, caule erecto. Linn. *Sp. pl. p. 38.*
*Veronica* terrestris annua, folio polygoni, flore albo. Moris. *hist. 2. p. 322. sec. 3. tab. 34. fig. 19.*
Planta annua.
Radix fibrosa.
Caules plures, rarius solitarii, erecti, 1-4palmares, teretes, purpurascentes, undique foliis floribusque onusti, dum procumbunt radicantes.
Folia confertissima, sessilia, deflexa, lineari-lanceolata, integerrima, glabra, avenia: *inferiora* opposita; *superiora* sparsa; *nonnulla* ex inferioribus subserrata.
Flores axillares, solitarii, brevissimè pedunculati.
Corolla alba, calyce dimidio brevior.
Semina oblonga, compressa, lutea, hinc concava, inde subconvexa.
*Habitat* in *Peruviae* ruderatis et muris ad *Pillao* vicum, et in segetibus *Limae*.
*Floret* à Junio ad Septembrem.
*Obs.* Plantae, quae in aridis et ruderatis proveniunt, humiliores, et foliis floribusque undique onustae sunt: quae autem in versuris et inter segetes vegetant, ramosiores ad pedis ferè altitudinem crescunt, foliaque inferiora remota proferunt.

## GRATIOLA. Linn. *Gen. pl. p. 17.*

### *GRATIOLA peruviana.*

1. G. foliis ovato-lanceolatis serratis, floribus breviter pedunculatis.
*Gratiola* floribus subsessilibus. Linn. *Sp. pl. p. 22.*
*Gratiola* latiore folio, flore albo. Fewill. *Peruv. t. 3. p. 23. planch. 17.*
Planta herbacea.
Radix fibrillosa, alba.
Caulis patulus, saepè procumbens, ramosus, tetragonus.
Rami consimiles, assurgentes.
Folia opposita, semiamplexicaulia, ovato-semilanceolata, omnino serrata, 3-5nervia; nervis lateralibus obsoletis; patentia: *inferiora* minora, obtusiora.
Flores axillares, solitarii, subsessiles.
Bracteolae duae, subulatae, calycis longitudine, patulae, persistentes.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* subulatis, persistentibus.
Corolla alba. *Tubus* striis purpureis maculatus. *Faux* sub labio superiori villosa.
Stamina quatuor, quorum duo breviora castrata. *Antherae* fertilium geminae, subrotundae.
Stigma recurvum, bilobum: *lobis* intimè adpressis.
*Obs. Stemodia* maritima à *Gratiolae* Genere nihil alio differt, nisi Staminibus omnibus fertilibus, ideoque ad hoc Genus referri posse videtur.
*Habitat* in humidis *Limae* et *Conceptionis Regni Chilensis.*
*Floret* Februario, Martio, et Aprili.
*Usus*: Folia sapore amariusculo praedita sunt.

## SANCHEZIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 5. Icon. 32.

### *SANCHEZIA oblonga.* Icon. VIII. *Fig. b.*

1. S. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis, petiolis alatis.
Planta orgyalis, herbacea.
Caulis erectus, ramosus, glaber, obtusè tetragonus.
Folia opposita, petiolata, oblongo-lanceolata, acuminata, utrinque glabra.
Petioli alati, connati, breves.
Spicae terminales, solitariae ternaeque: *lateralibus* brevioribus.
Flores verticillati, totidem bracteis distincti.
Verticilli multiflori, involucrati: *Involucrum* diphyllum: *Foliola* magna, ovata, integerrima, persistentia, erecta, punicea, pedunculum ferè obtegentia.
Bracteae lineares, integerrimae, puniceae, hirsutae.
Calyx luteus.
Corolla lutea, hirsuta.
Staminum *Filamenta* hirsuta.
*Habitat* in *Peruviae* stagnantibus et umbrosis ad *Cuchero*, *Pozuzo* et *Pillao* juxta *Chacahuassi* vicos.
*Floret* ab Augusto ad Novembrem.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla. 3 Stamina et Rudimenta tubo corollae inserta. 4 Pistillum anulo insidens. 5 Anulus. 6 Capsula. 7 Eadem transversim secta. 8 Semina.

### *SANCHEZIA ovata.* Icon. VIII. *Fig. c.*

2. S. foliis ovatis acuminatis, petiolis semicylindricis.
Planta orgyalis, herbacea.
Caulis erectus, tetragonus, vix divisus, glaber.
Folia opposita, patentia, petiolata, ovata, acuminata, integerrima, venosa, supra nitida, pubescentia.
Petioli connati, semicylindrici.
Spica terminalis.
Flores in verticillos aggregati, sessiles.
Verticilli multiflori, involucrati.
Involucrum diphyllum: *Foliola* ovata, acuta, concava, apice reflexa, punicea, persistentia.
Bracteae tot quot flores, oblongae, leviter emarginatae, puniceae, flores distinguentes.
Calyx ferè tubulosus, infernè angustatus, quinquepartitus, purpureus.

Corolla lutea.
Filamenta ad apicem hirsuta.
*Habitat* in *Peruviae* stagnatis et umbrosis locis, ad *Cuchero*, *Pozuzo* et *Pillao* circa *Chacahuassi*.
*Floret* à Julio ad Decembrem.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Stamina et Rudimenta tubo corollae inserta.

## SARMIENTA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 4.

### *SARMIENTA repens.* Icon. VII. *Fig. b.*

1. S. foliis ovatis carnosis utrinque punctatis.
*Urceolaria* foliis carnosis scandens. Fewill. *Peruv. tom. 3. p. 69. planch. 43.*
Planta parasitica, scandens.
Caulis ramosissimus, sarmentosus, teres, repens.
Rami dependentes.
Folia opposita, breviter petiolata, ovata, carnosa, avenia, subtus albicantia, utrinque minutim punctata.
Pedunculi terminales, longi, filiformes, uni-biflori.
Bracteolae duae, oblongae, crassiusculae sub singulo calyce.
Calyces hirsuti.
Corolla punicea, extus pubescens.
*Habitat* copiosè in nemoribus *Conceptionis Chile*, Provinciae *Rere*, *Itatae* et *Puchacay*.
*Floret* Februario, et Martio.
*Vires*: Folia ad callos emolliendos stirpandosque inserviunt.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum bracteolis. 2 Corolla cum staminibus et rudimentis. 3 Pistillum. 4 Capsula. 5 Eadem circumscissa. 6 Semina.

## JUSTICIA. Linn. *Gen. pl. p.* 17.

### *JUSTICIA spicata.* Icon. IX. *Fig. a.*

1. J. foliis lanceolato-oblongis, spicis oblongo-ovatis, bracteis inflexis.
Planta orgyalis, glabra, herbacea, perennis.
Caulis erectus, infernè parum divisus, teres, geniculatus.
Folia petiolata, patentia, lanceolato-oblonga, integerrima.
Spica terminalis, oblongo-ovata.
Flores sessiles, bracteis lanceolatis, acutissimis, inflexis, solitariis suffultus.
Calyx quinquepartitus, brevissimus, bracteolis duabus lanceolatis, lateralibus suffultus.
Corolla longissima, punicea: *Tubus* prope basim coarctatus: *Labium inferius* tripartitum; laciniis deflexis: *superius* erectum, emarginatum.
Stamina longitudine corollae, tubi coarctationi inserta. *Antherae* incumbentes, infernè bifidae, subsagittatae.
Stylus longitudine staminum. *Stigma* parvum, capitatum, subbilobum.
*Habitat* in *Pozuzo* nemoribus.
*Floret* Augusto, Septembri, et Octobri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx et Bracteolae calycinae sejunctae. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Anthera. 4 Pistillum.

### *JUSTICIA mucronata.* Icon. X. *Fig. b.*

2. J. foliis oblongo-obovatis dentato-spinosis.
Frutex biorgyalis, erectus.
Caulis ramosus, teres.
Rami inflexo-erecti, teretes.
Folia aliquando terna, petiolata, semipedalia, oblongo-obovata, acuminata, mucronata, supra nitida, dentato-spinosa; *denticulis* incurvis.
Spicae terminales, ferè pedales, erectae.
Flores sessiles, oppositi, aliquando terni.
Bracteae ovatae, acutae. *Bracteolae duae* sub singulo calyce, laterales, sessiles, ovatae, acutae, obsoletè denticulatae, calyce duplò breviores.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* oblongis, margine denticulatis, membranaceis.
Capsulae calyce triplò longiores, oblongo-obovatae, biloculares, bivalves.
*Habitat* in *Peruviae* nemoribus ad *Pati* tractus, prope *Chinchao* vicum.
*Floret* Majo, et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Semen anticè et posticè visum.

### *JUSTICIA longistaminea.* Icon. X. *Fig. a.*

3. J. foliis sessilibus oblongis utrinque acutis subrepandis, pedunculis dichotomis.
Planta tripedalis, herbacea, perennis.
Caulis erectus, teres, infernè parum divisus, geniculatus.
Rami consimiles: *teneri* pubescentes.
Folia sessilia, oblonga, utrinque acuta, subrepanda, patentia, plana, supra nitida, subtus venosissima: *venis* inflexis, pubescentibus; *majora* latitudine sesquipalmari, longitudine tripalmari.
Racemi terminales, purpurei, magni, compositi, pubescentes.
Pedunculi oppositi, gemini, dichotomi, bracteolis subulatis, pubescentibus suffulti.
Pedicelli intermedii bracteati, aut nudi.
Calyx quinquepartitus, glaber: *laciniis* subulatis, inaequalibus.
Corolla irregularis, gibba, ventricosa, glabra: *Labium superius* lineari-lanceolatum, integerrimum, angustissimum: *inferius* paulò brevius, trifidum; *laciniâ intermediâ* breviori et angustiori: *Tubus* basi globosus, gibbus, medio coarctatus: *Faux* dilatata, maxima.
Stamina corollâ duplò longiora. *Antherae* incumbentes, basi bifidae, subsagittatae.
Stylus longitudine staminum.
Stigma capitatum, bilobum, parvum.
*Obs.* Pedunculi, Pedicelli, Calyx, Corolla, Stamina, Stylusque purpurei.

*Habitat* in *Pillao* nemoribus ad *Pampamarca*.
*Floret* Octobri, et Novembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Pistillum. 4 Capsula cum seminibus aperta.

### *JUSTICIA sericea*. Icon. IX. *Fig. b.*

4. J. foliis lanceolatis sericeis, marginibus reflexis; pedunculis axillaribus solitariis.

Planta fruticosa, quadripedalis, sericea.
Caulis erectus, teres, ramosissimus.
Rami consimiles.
Folia subsessilia, lanceolata, integerrima, marginibus revolutis, subtus venosissima, saepe lutescentia.
Flores ex axillis superioribus, solitarii, sessiles.
Foliola *floralia* oblongo-obovata, acuminata.
Bracteolae *duae* lineares, falcatae, laterales, ad basim calycis.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* lanceolatis, aequalibus.
Corolla magna, coccinea, extus hirsuta; *Faux* rugosa: *Labium superius* erectum, emarginatum: *inferius* trifidum: *laciniis* obtusis.
Stamina sub labio superiori recondita; fauci inserta. *Antherae* purpurascentes, infernè bifidae; *laciniâ alterâ* productiori.
Stylus apice recurvus. *Stigma* leviter emarginatum.
Capsula oblonga, pedunculata, subclavata, bivalvis.
Semina bina.
*Habitat* in aridis, et agrorum marginibus *Tarmae* ad *Acobamba*, et in *Cheuchin*, ubi *Chucumpa* nuncupant.
*Floret* Aprili, et Majo.
*Vires*. Ad pleuritidem usurpatur.
*Explic. Icon.* 1 Bractea communis. 2 Calyx cum bracteolis calycinis. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum.

### *JUSTICIA racemosa*. Icon. XI. *Fig. b.*

5. J. foliis ovato-lanceolatis, pedunculis dichotomis, floribus racemosis.

Planta tripedalis, villosa, herbacea, perennis.
Caulis erectus, obtusè tetragonus, quadrisulcatus, striatus, geniculatus, ramosiusculus: *angulis duobus oppositis* densè villosis.
Rami erecti, virgati, fragiles.
Folia petiolata, patentia, ovato-lanceolata, integerrima, venosissima.
Pedunculi axillares terminalesque, racemosi, bini ternique, dichotomi, bracteolis subulatis, solitariis suffulti.
Pedicelli breves, uniflori, bracteolâ subulatâ sustentati.
Bracteae tres sub singulo calyce, subulatae, eo dimidio breviores.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* lineari-lanceolatis.
Corolla punicea, calyce triplò longior, bilabiata. *Tubus* prope basim coarctatus. *Labium superius* integrum, concavo-carinatum: *inferius* leviter tricrenatum.
Stamina: *Filamenta* longitudine corollae, coarctationi tubi inserta. *Antherae* biloculares, bilobae; lobo altero majori, oblongo; minori ferè trigono.
Stylus longitudine staminum. *Stigma* capitatum, emarginatum.
Capsula clavata, acuminata, bilocularis, bivalvis, disperma.
Semen unicum in singulo loculo, lentiforme, glabrum, laeve, hinc concavum, inde convexum.
*Habitat* in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* vicum.
*Floret* Septembri, et Novembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum bracteolis. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Pistillum. 4 Capsula. 5 Eadem dehiscens. 6 Semina.

### *JUSTICIA tenuiflora*. Icon. XII. *Fig. a.*

6. J. foliis lanceolatis, paniculâ terminali brachiatâ dichotomâque, floribus sessilibus.

Planta bipedalis, herbacea, perennis.
Caulis erectus, ramosus, infernè teres, supernè subtetragonus.
Rami virgati, sulcati, leviter pubescentes.
Folia lanceolata, usque ad basim petioli decurrentia, integerrima, glabra, venosa, supra nitida.
Panicula terminalis, magna, pubescens. *Villi* apice glandulosi.
Pedunculi *inferiores* brachiati; *superiores* dichotomi, bracteolâ subulatâ suffulti.
Flores sessiles, bracteolis tribus subulatis sustentati.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* subulatis, aequalibus.
Corolla longissima, angusta, punicea, bilabiata. *Tubus* tenuis. *Limbus* bilabiatus: *labium inferius* trifidum, obtusum; *superius* integrum.
Stamina: *Filamenta* fauci inserta, subulata. *Antherae* biloculares, bilobae: *lobis* obversè conicis, *altero* majori.
Pistillum: *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis. *Stigma* emarginatum.
Semina duo in singulo loculo, utrinque granulosa.
*Habitat* in *Peruviae* nemoribus ad *Cuchero* vicum.
*Floret* mensibus Junio, Julio et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum bracteolis. 2 Corolla cum staminibus. 3 Pistillum. 4 Capsula cum calyce. 5 Eadem aperta. 6 Semina.

### *JUSTICIA lineolata*. Icon. XIII. *Fig. a.*

7. J. foliis ovatis acutis, lineolis pellucidis, pedunculis terminalibus paniculatis, floribus spicatis.

Planta bipedalis, herbacea, perennis.
Radix fibrillosa, tenuis.
Caulis erectus, vix divisus, infernè teres, articulatus, supernè tetragonus, quadrisulcatus, glaber.
Folia petiolata, ovata, acuta, nonnulla obsoletè dentata: denticulis remotis, lineolis pellucidis aspersa, glabra.

Pedunculi terminales, solitarii geminique, brachiati, leviter pubescentes : *partiales* bracteolis subulatis suffulti.

Flores oppositi, sessiles, spicati.

Bracteolae tres sub singulo calyce, subulatae ; *inferiori* vix longiore.

Calyx quinquepartitus : *laciniis* subulatis, erectis.

Corolla purpureo-caerulea, bilabiata : *labium inferius* trifidum, subtus concavum, supra punctatum; *laciniis* obtusis : *superius* integrum.

Stamina : *Filamenta* corollae ferè longitudine. *Antherae* didymae, biloculares : *laciniâ alterâ* minori.

Semina bina, ovata, compressa, punctata, scabra.

*Habitat* in *Peruviae* nemoribus ad *Cuchero* vicum.

*Floret* Julio, et Augusto.

*Explic. Icon.* 1 Corolla cum staminibus scissa. 2 Pistillum. 3 Capsula cum calyce aperta. 4 Semina.

## DIANTHERA. Linn. *Gen. pl. p.* 17.

### *DIANTHERA multiflora.* Icon. XIV. *Fig. b.*

1. D. foliis oblongis, pedunculis ternis 2-4fidis, floribus 2-3 in singulis binis bracteis.

Planta sesquipedalis, herbacea, annua.

Caulis erectus, infernè ramosus, sexangularis, hispidulus, geniculatus.

Folia *petiolata, oblonga, acuta, integerrima*, utrinque pubescentia.

Pedunculi axillares, terni, duobus quatuorve pedicellis brevissimis terminati.

Pedicelli *exteriores* bracteolâ lineari-subulatâ, pubescenti suffulti.

Flores verticillati, duo aut tres intra singulas binas bracteas communes, sessiles.

Bracteae *communes* geminae, obovatae, glabrae, mucronatae, *alterâ* breviori. *Bracteolae* duae oppositae infra singulum calycem, lineari-subulatae, pubescentes, ciliatae : *omnes* persistentes.

Calyx quinquepartitus : *laciniis* lineari-subulatis, inaequalibus, pubescentibus, persistentibus.

Corolla purpurea, ringens. *Tubus* subcontortus, longitudine calycis. *Labium inferius* tridentatum, obtusum : *superius* integrum, obtusum.

Filamenta fauci inserta, corollâ paulò breviora. *Antherae* geminae, *alterâ* inferiori.

Stylus longitudine staminum. *Stigma* bilobum; *lobis* adpressis.

*Habitat* in *Peruviae* umbrosis ad *Cheuchin* vicum.

*Floret* Majo, Junio et Julio.

*Vernacule Caihua-Caihua.*

*Vires et usus. Radix* ad dentes mundificandos inservit. *Folia* edulia sunt.

*Explic. Icon.* 1 Duo Flores intra bracteas communes cum bracteolis. 2 Calyx cum bracteolis. 3 Pistillum.

### *DIANTHERA repens.* Icon. XV. *Fig. b.*

2. D. foliis ovatis acutis, pedunculis solitariis geminisque 4-5fidis, floribus 2-3 in singulis binis bracteis.

Planta suffruticosa, pedalis.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caules plures, prostrati, repentes, obsoletè sexangulares, cinerei, ramosi, geniculati.

Rami consimiles.

Folia breviter petiolata, ovata, acuta, tomentosa, denticulata ; *radicalia* ovato-subrotunda.

Pedunculi axillares, solitarii geminique, petiolis longiores, terminati *pedicellis quatuor*, brevissimis, parallelis, duabus bracteolis subulatis, connatis, pubescentibus suffultis.

Flores duo aut tres, subsessiles, intra singulas binas bracteas communes.

Bracteae *communes* magnae, geminae, *alterâ* breviori, obovatae cum brevissimo acumine, concavae, utrinque glandulosae; *glandulis* persistentibus. *Bracteolae duae* subulatae, glandulosae sub singulo calyce.

Calyx quinquepartitus : *laciniis* aequalibus subulatis, villosis, apice glandulosis : *glandulis* deciduis.

Corolla rubra, aliquando lutea, extus pubescens, longissima. *Faux* dilatata. *Tubus* deorsum angustatus. *Limbus* bilabiatus : *Labium superius* integrum, concavum, subgaleatum ; *inferius* concavum, levissimè tridentatum.

Stamina : *Filamenta* corollae longitudine. *Antherae* geminae, alterâ altiori. *Stylus* staminum longitudine. *Stigma* parvum, capitatum, bilobum.

*Habitat* in rupium fissuris *Limae, Lurin, Chancay* et *Huanuci.*

*Floret* Decembri, et Januario.

*Explic. Icon.* 1 Pedunculus communis cum quatuor bracteârum communium paribus. 2 Duo Flores intra bracteas communes. 3 Calyx cum bracteolis. 4 Corolla cum staminibus scissa. 5 Pistillum.

### *DIANTHERA acuminata.* Icon. XVI. *Fig. b.*

3. D. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis, verticillis subsessilibus multifloris, bracteis ciliatis.

Planta bipedalis, herbacea, hirsuta. *Villi* apice glandulosi.

Caulis ramosus, erectus, hexagonus, geniculatus, pilosus, granulis oblongiusculis respersus.

Folia petiolata, integerrima, hinc oblongo-lanceolata, inde ovato-lanceolata, acuminato-mucronata.

Flores verticillati.

Verticilli *superiores* approximati, conferti ; *inferiores* distantes.

Pedunculi axillares, gemini, terni solitariique, brevissimi, terminati pedicellis 3-4-5 ; quorum laterales *bracteolâ* subulatâ suffulti.

Bracteae communes, biflorae, lanceolato-lineares, acumi-

nato-mucronatae, ciliatae, persistentes: alterâ minori. *Bracteolae duae* sub singulo calyce, subulatae, ciliatae.

CALYX parvus, quinquepartitus: *laciniis* subulatis, aequalibus, ciliatis.

COROLLA purpurea, extus pubescens, bracteis triplò longior, usque ad medium bifida, bilabiata. *Tubus* tenuis, *Labium superius* lanceolatum, integrum; *inferius* levissimè tridentatum, duplò latius. *Antherae* binae, oblongae in singulo filamento, altera infra alteram.

STYLUS filiformis, longitudine staminum. *Stigma* bilobum.

CAPSULA obovata, bilocularis, bivalvis: *valvulis* cymbaeformibus, basi utrinque deffixis.

SEMINA bina, lentiformia, hispidiuscula, basi excavata.

*HABITAT* in *Huanuci* et *Huaurae* circuitu ad margines segetum.

*FLORIDAM* per totum annum offendimus.

*VERNACULE* in *Huanuco Caihua-Caihua* nominatur.

*Incolae* mucilaginem plantae ad condiendum cibi genus (*Locro* nominatum) extrahunt.

*Explic. Icon.* 1 Pedunculus communis cum quatuor bractearum communium paribus flores includentibus. 2 Duo Flores intra bracteas communes. 3 Calyx cum bracteolis. 4 Capsula. 5 Eadem aperta. 6 Semina.

## *DIANTHERA. MUCRONATA.* ICON. XVI. *Fig. a.*

4. D. foliis ovatis mucronatis, floribus verticillatis, bracteis ovatis ciliatis mucronatis.

PLANTA bipedalis, hirsuta, herbacea.

CAULES plures, erecti assurgentesque, teretes, striati, geniculati, ramosi, leviter sexangulares.

RAMI brachiati, cauli similes.

FOLIA petiolata, ovata, acuta, mucronata, integerrima; *opposito* minori.

FLORES verticillati.

PEDUNCULI axillares, breves, solitarii geminique, tri-quadriphylli.

PEDICELLI brevissimi, serie horizontali digesti: *laterales* bracteolâ subulatâ suffulti.

FLORES tres, sessiles, intra binas bracteas communes.

BRACTEAE *communes* binae, conniventes, ovatae, mucronatae, ciliatae, persistentes; *inferiori* duplò minori: *Bracteolae duae* subulatae sub singulo calyce.

CALYX tubo corollae triplò brevior, quinquepartitus; *laciniis* aequalibus, linearibus, albidis, hirsutis.

COROLLA ringens, purpurea, pubescens. *Faux* dilatata. *Labium superius* integerrimum: *inferius* tridentatum.

STAMINA: *Filamenta* purpurea, glabra, corollae ferè longitudine. *Antherae* geminae, oblongae, uniloculares; *alterâ* altiori.

STYLUS longitudine corollae, glaber. *Stigma* bilobum.

CAPSULA brevis, suborbicularis, brevissimè pedunculata, bilocularis, bivalvis: *valvulis* infernè deffixis.

SEMINA bina, lentiformia, echinata, basi excavata.

*HABITAT* in *Huanuci* et *Chancay* agrorum versuris.

*FLORET* mensibus Septembri, et Octobri.

*Explic. Icon.* 1 Pedunculus cum quatuor bractearum communium paribus, flores continentibus. 2 Bracteae cum tribus floribus clausis. 3 Calyx cum bracteolis. 4 Capsula. 5 Eadem hians. 6 Eadem aperta. 7 Semina.

## *DIANTHERA HIRSUTA.* ICON. XIII. *Fig. b.*

5. D. foliis ovatis acutis, pedunculis geminis, floribus duobus in singulis binis bracteis.

PLANTA ferè bipedalis, herbacea, hirsutissima: *Villi* tribus sexve articulationibus.

RADIX ramosa, fibrillosa.

CAULIS simplex, erectus, geniculatus, tetragonus, quadrisulcatus, supernè foliosus, infernè ramulosus.

FOLIA petiolata, ovata, acuta, integerrima.

PEDUNCULI axillares, terminalesque bini.

BRACTEAE *communes* binae, biflorae, ovatae, acuminatae; alterâ breviori.

BRACTEOLAE duae, subulatae, longitudine calycis.

CALYX quinquepartitus: *laciniis* aequalibus, subulatis.

COROLLA bilabiata: *Labium inferius* trifidum; *laciniis* obtusis, reflexis: *superius* erectum, concavum.

STAMINA fauci corollae inserta. *Antherae* geminae.

GERMEN ovatum. *Stylus* longitudine corollae. *Stigma* bilobum.

*HABITAT* in *Peruviae* nemoribus ad *Pozuzo*, *Chinchao* et *Cuchero* vicos.

*FLORET* Septembri, et Octobri.

*Obs. Folia* tincturam caeruleam, uti *Indigofera Anil* praestant. Planta exsiccata, aquâ respersa, et papyri plagulis interposita caeruleo colore inficit.

## *DIANTHERA SECUNDIFLORA.* ICON. XV. *Fig. a.*

6. D. foliis lanceolato-oblongis obsoletè crenatis, pedunculis solitariis polystachyis, floribus secundis.

PLANTA tripedalis, herbacea.

RADIX fibrosa, albidiuscula.

CAULES plures, ramosi, geniculati, leviter sexangulares, glabri, dilutè purpurascentes.

RAMI consimiles, simplices.

FOLIA patentia, petiolata, lanceolato-oblonga, lata, venosissima, obsoletè crenata, glabra.

PEDUNCULI axillares, solitarii, longissimi, inflexi, purpurei, pubescentes, plurimis spicis, oppositis, pedicellatis, simplicibus, furcatis bifurcatisque compositi: *bracteolis* subulatis, parvis, subconnatis, infernè concavis, incurvis suffulti.

FLORES solitarii, sessiles, secundi; *bracteolis duabus* subulatis, connatis, incurvatis sustentati.

BRACTEOLAE *aliae duae* sub singulo calyce, subulatae.

CALYX quinquepartitus: *laciniis* subulatis.

COROLLA purpurea, bilabiata: *Labium inferius* trifidum;

*laciniis* obovatis, obtusis: *intermediâ* latiore, rotundâ: *superius* integerrimum.

FILAMENTA corollae longitudine, fauci inserta. *Antherae* duae in singulo filamento, caudatae, caudâ antherae inferioris longiori, incurvatâ.

*HABITAT* in *Pozuzo* nemoribus.

*FLORET* mense Augusto, et Septembri.

*VERNACULE Pussca.*

*Usus.* Incolae hac plantâ colore rubro, et caeruleo tingunt.

*Obs.* Differt à congeneribus Antheris caudatis. Convenit cum Justiciae Speciebus bracteâ communi unicâ. An Genus novum constituendum ex hac Specie et duabus proximè sequentibus, quae omnes antheris caudatis gaudent?

*Explic. Icon.* 1 Calyx cum bracteolis. 2 Corolla cum staminibus. 3 Eadem cum iisdem scissa, et aucta. 4 Stamina. 5 Pistillum.

## *DIANTHERA ciliata.* ICON. XIV. *Fig. a.*

7. D. foliis lanceolatis, floribus spicatis confertis, bracteis calycibusque ciliatis.

PLANTA bipedalis, herbacea.

RADIX ramosa, fibrosa, longissima.

CAULIS erectus, simplex, hexagonus, geniculatus, radicans.

FOLIA petiolata, lanceolata, integerrima, glabra.

SPICAE axillares terminalesque, breves, pedunculatae.

FLORES confertissimi, oppositi, sessiles: singuli *bracteâ magnâ, lanceolatâ, acumine subulato longissimo*, ciliatâ stipati.

BRACTEOLAE duae, oppositae ad calycis basim, subulatae, ciliatae, longitudine calycis.

CALYX quinquepartitus: *laciniis* subulatis, ciliatis, inaequalibus.

COROLLA purpureo-violacea, fauce extus pubescens. *Tubus* tenuis. *Labium superius* emarginatum: *inferius* trifidum.

STAMINA fauci corollae inserta, limbo duplò breviora. *Antherae* geminae, oblongae, caudatae.

STYLUS longitudine staminum. *Stigma* parvum, capitatum, bilobum.

CAPSULA bilocularis, calyce duplò brevior.

SEMINA bina, scabra.

*HABITAT* in *Peruviae* nemoribus ad *Pozuzo* vicum.

*FLORET* mensibus Augusto, Septembri et Octobri.

*Explic. Icon.* 1 Bractea communis. 2 Calyx cum bracteolis. 3 Corolla cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Capsula. 6 Eadem aperta. 7 Semina.

## *DIANTHERA appendiculata.* ICON. XI. *Fig. a.*

8. D. foliis lanceolatis undulatis basi appendiculatis, pedunculis solitariis ternisque, 3-5fidis parallelis.

PLANTA herbacea, glabra.

CAULIS orgyalis, erectus, geniculatus, obsoletè angulatus, vix divisus, supernè purpurascens.

FOLIA petiolata, lanceolata, integerrima, venosissima, margine undulata, ferè quadripalmaria, basi utrinque appendiculata.

PEDUNCULI axillares, racemosi, solitarii, bini ternique, paralleli, tri-quinquefidi, multiflori.

FLORES sessiles, bracteâ lanceolatâ suffulti.

BRACTEOLAE tres sub singulo calyce, lanceolatae, concavae, persistentes.

CALYX quinquepartitus: *laciniis* lineari-lanceolatis, aequalibus.

COROLLA purpurea, bilabiata, calyce quadruplò longior, pubescens. *Tubus* prope basim coarctatus: *Labium superius* integrum: *inferius* trifidum.

STAMINA: *Filamenta* corollae longitudine, fauci inserta. *Antherae* duae in singulo filamento, oblongo-lineares, caudatae.

STYLUS longitudine staminum. *Stigma* bilobum; *lobis* adpressis.

CAPSULA pedunculata, pubescens.

SEMINA bina, lentiformia, basi excavata, undique granulosa.

*HABITAT* in *Peruviae* nemoribus umbrosis locis ad *Pozuzo* vicum.

*FLORET* Septembri, et Octobri.

*Explic. Icon.* 1 Bractea communis. 2 Calyx cum tribus bracteolis. 3 Corolla cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Capsula aperta. 6 Semina.

*Obs.* Charactere Generico *Dianthera* cum *Justicia* adeo convenit, ut in unum reduci debeat: haec est mea opinio, uti cl. Haenkeus, Lamarck, Schreber et alii fecere. *PAVON.*

# JOVELLANA.

### CHARACTER GENERICUS NATURALIS.

CAL. *Perianthium* quadripartitum: *laciniis* ovatis, acutis, patentibus; *superiore* angustiori; *inferiore* latiori: inferum, persistens.

COR. irregularis, cymbaeformis, resupinata. *Tubus* vix ullus. *Limbus* bilobus: *lobis* subaequalibus; *superiore* concavo-carinato; *inferiori* inflato, subcalceiformi.

STAM. *Filamenta* duo, sublinearia, compressiuscula, incurvata, opposita, basi corollae infra incisuras inserta. *Antherae* cordato-ovatae, utrinque sulcatae, erectae, bilo-culares, dissepimento contrario; *loculis* septo intermedio receptaculo inserto divisis: post pollinis effusionem persistentes.

PIST. *Germen* ovato-conicum. *Stylus* subulatus, incurvus, staminum longitudine. *Stigma* capitato-peltatum, leviter emarginatum.

PER. *Capsula* ovato-conica, bisulca, bilocularis, apice bivalvis: *valvulis* bifidis.

SEM. oblongo-obovata, laevia, planiuscula. *Receptaculum* dissepimento utrinque adnatum, ovato-conicum.

*Obs.* Differt hoc Genus à Calceolariâ, cui valde affine, corollâ et staminibus.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

COROLLA cymbaeformis, resupinata, biloba. *Calyx* quadripartitus.

*Genus nuncupatum* Ex.mo D. D. Casparo Melchiori de Jovellanos, *viro undequâque spectatissimo, praecipuo hujus Operis editionis Promotori.*

*JOVELLANA* SCAPIFLORA. ICON. XVIII. *Fig. b.*

1 J. foliis ovatis serratis, scapis inaequalibus unifloris.

*CALCEOLARIA* ( *plantaginea* ) scapis paucifloris, foliis rhombeis serratis. SMITH. *fasc. 1. pag. 2. tab. 2.*

PLANTA herbacea, pumila, annua.

RADIX ramosa.

SCAPI 3-5, inaequales, erecti, ferè bipalmares, filiformes, teretes, subancipites, pubescentes, purpurei, uniflori, nudi: *lateralibus oppositis*, teretibus, glabris.

FOLIA radicalia, patentia, ovata, basi attenuata, quinquenervia, serrata, utrinque pubescentia.

FLOS unicus, terminalis ex singuli scapi apice.

CALYX pubescens.

COROLLA lutea; *Labium inferius* internè punctis purpureis maculatum.

FILAMENTA purpurea. *Antherae* atro-purpureae, cordato-ovatae.

SEMINA fulva.

*HABITAT* in alpibus *Tarmae* et *Caxatambo* ad *Cheuchin.*

*FLORET* Julio, et Augusto.

*Obs.* Folia succum mucilaginosum praebent.

*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Idem posticè visus. 3 Flos. 4 Corolla cum staminibus et pistillo. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Semina. 9 Pars Scapi aucta.

*JOVELLANA* PUNCTATA. ICON. XVIII. *Fig. a.*

2. J. foliis ovato-oblongis duplicato-serratis, pedunculis multifloris cymosis.

*GESNERA* floribus maculatis. FEWILL. *tom. 3. p. 21. pl. 16.*

PLANTA fruticosa, tripedalis.

RADIX ramosa, tortuosa, fibrillosa.

CAULIS erectus, ramosus, fragilis, teres, compressiusculus.

RAMI consimiles: *teneri* pubescentes, glanduliferi.

FOLIA opposita, petiolata, ovato-oblonga, duplicato-serrata, glabra, subtus albida; nonnulla supra villosa: *floralia* integerrima: *omnia* utrinque punctis purpureis notata: *nervo* subtus utrinque sulcato.

PETIOLI connati, extus bisulci.

PEDUNCULI terminales axillaresque, multiflori, cymosi.

CALYX quadripartitus: *laciniis* ovatis, punctatis; *oppositis* vix latioribus.

COROLLA albo-violacea, maculâ pallidâ, punctisque purpureis variegata, campanulata, compressiuscula, cymbaeformis, resupinata, irregularis. *Tubus* brevis, patens, basi hirsutus; *villis* articulatis, flexuosis (Confervae instar). *Limbus* bilabiatus subaequalis, margine pubescens: *Labium inferius* margine parum involutum, superiori paulò longius: *superius* planiusculum.

STAMINA: *Filamenta* breviora, plana, sublinearia, opposita; infra incisuras tubi corollae inserta. *Antherae* erectae, reniformes, emarginatae, biloculares.

PISTILLUM: *Germen* ovatum. *Stylus* subulatus, parum incurvus. *Stigma* bilobum.

*HABITAT* in silvis *Arauco* prope *Piedra dorada* aliisque locis Provinciarum *Conceptionis Chile* et *Puchacay.*

*FLORET* Februario, et Martio.

*VERNACULE Arguenilla.*

*Obs.* Insigni vi depuratoriâ, teste P. Feuwilleo, praestat; quamobrem in morbis venereis Indi plantae infusum quam maximè calidissimum fieri potest, manè non sine utilitate, ut ipsi asseverant, quotidie bibunt.

*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Flos. 3 Corolla postice visa. 4 Eadem antice cum staminibus, lateraliter scissa. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula et Semina. 8 Villus auctus.

## SCHIZANTHUS. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p. 6.*

*SCHIZANTHUS* PINNATUS. ICON. XVII.

1. S. foliis interruptè pinnatis.

PLANTA herbacea, *villis* longioribus glandulâ terminatis.

RADIX fibrillosa.

CAULIS bipedalis, erectus, parum ramosus, teres.

RAMI alterni, consimiles.

FOLIA alterna, breviter petiolata, interruptè pinnata: *foliola* sessilia: *majora* laciniato-pinnatifida; *minora* lanceolata, integra.

FLORES paniculati.

PEDICELLI uniflori, filiformes, bracteolis duabus lanceolatis suffulti.

COROLLA caeruleo-violacea: *labium superius* variegatum, in centro maculâ purpureâ notatum.

FILAMENTA sterilia villosa. *Antherae* reniformes.

STIGMA emarginatum.

CAPSULA bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis.

*HABITAT* in agrorum versuris *Chile* ad *Esquadron*, et in *Araucanorum* tractu.

*FLORET* Februario, et Martio.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Idem lateraliter visus. 3 Calyx. 4 Stamen sterile auctum. 5 Corolla cum staminibus et rudimentis. 6 Pistillum. 7 Capsula cum calyce. 8 Eadem dehiscens. 9 Semina. 10 Villus auctus.

## CALCEOLARIA. LINN. *Gen. pl. p.* 18.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Perianthium* quadripartitum: *laciniis* ovatis, acutis, venosis; *lateralibus* latioribus: *infimâ* angustiore, inferum, patens, persistens.

COR. bilabiata: *Tubus* brevissimus: *Labium superius* mini-

mum, coarctatum, subrotundum, concavum: *Labium inferius* maximum, calceiforme, inflatum, anticè hians.

STAM. *Filamenta* duo, brevissima, subulata, planiuscula, basi dilatata, ad basim corollae inserta, parti angustiori tubi opposita. *Antherae* incumbentes, labio superiori tectae, saepe exsertae, bilobae, callosae: *lobis* oblongis, patentissimis, unilocularibus, supernè univalvibus: loculo septo intermedio semidiviso.

PIST. *Germen* ovato-conicum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum, curvatus. *Stigma* obtusum, leviter emarginatum.

PER. *Capsula* ovato-conica, bisulca, bilocularis, apice bivalvis: *valvulis* bifidis.

SEM. numerosa, minima, oblonga, cum brevi acumine, striata: *Receptaculum* semiovato-conicum, dissepimento utrinque adnatum.

*Obs. 1. Stigma* lente vitreâ conspectum bilobum: *lobis* emarginatis.

### *HABITUS.*

*Plantae* herbaceae, aut fruticosae, viscoso-resinosae, pubescentes vel hirsutae, aut villosae: *Villi* biformes: *longiores* setosi, articulati, flexuosi (Confervae instar); *breviores* glandulâ terminati. *Caules* fragiles. *Folia* opposita, saepe terna, simplicia, *in Calc. Pinn.* pinnata. *Petioli* connati aut perfoliati; *in Calc. Perfol.* decurrentes. *Pedunculi* axillares terminalesque, solitarii, gemini, uniflori, vel dichotomo-corymbosi, aut umbellati, multiflori. *Pedicelli intermedii* uniflori: *laterales* tri-quadriflori. *Foliola duo* ad pedicellorum insertionem.

*Obs. 2.* Calceolariae omnes, quae Plantae sunt magis minusve amarae, diureticâ virtute pollent, et luteam tincturam praebent.

## *CALCEOLARIA* PINNATA. ICON. XIX. *Fig. a.*

1. C. foliis pinnatis, caule dichotomo radicante.

*CALCEOLARIA* foliis Scabiosae vulgaris. FEWILL. *Peruv. t. 3 pag. 12. pl. 7. fig. 1.*

*CALCEOLARIA* (*pinnata*) foliis pinnatis. LINN. *Sp. pl. t. 1. p. 49.*

PLANTA herbacea, succosa, pubescens.

RADIX repens.

CAULIS bipedalis, erectus, obsoletè tetragonus, glaber villosusque, saepe purpurascens, geniculatus, radicans, subhyalinus.

RAMI dichotomi; *juniores* pubescentes.

FOLIA *inferiora* pinnata; *superiora* pinnatifida; *terminalia* integra: *foliola* ovato-lanceolata, acuta obtusaque, duplicato-serrata, basi superiori oblique excavatâ, inflexa, sessilia, subtus albicantia, pubescentia: *intima* gradatim minora.

PETIOLI connati, villosi.

PEDUNCULI ex dichotomiis, et axillis superioribus solitarii geminique, in corymbum ferè dispositi, uniflori, erecti, longi, apice curvati, villosi.

CALYX extus purpurascens, villosus.

COROLLA luteo-sulphurea, magna, caduca, glabra.

STAMINA inclusa. *Antherae* bilobae: *lobis* patentibus; *altero* oblongo, breviori, pollinifero, descendente, rimâ hiante, carinato; *opposito* longiori, clavato, apice pervio, vix pollinifero, ascendente.

*HABITAT* copiosè in *Peruviae* humidis, stagnatis et aquaeductuum marginibus in *Limae*, *Chancay*, *Tarmae* et *Huanuci* Provinciis.

*FLORET* per totum ferè annum.

*VERNACULE Mancapaqui.* Vulgò *Yerba de la Bolsilla.*

*Obs.* Folia pro soli natura maximè variant. *Plantae*, quae in collibus altis arenosis tempore pluviarum crescunt, humiles gracilesque sunt, foliis superioribus magis fissis et obtusioribus.

*VIRES*: praestantissimum diureticum est.

*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula cum calyce. 6 Eadem dehiscens, et semina. 7 Villi aucti.

## *CALCEOLARIA TRIPARTITA.* ICON. XXII. *Fig. a.*

2. C. foliis tripartitis: lobis ovatis serratis.

PLANTA herbacea, annua, hirsuta.

CAULIS teres, ramosus.

FOLIA opposita, petiolata, tripartita; *lobis* ovatis; *intermedio* majori.

PEDUNCULI terminales, corymbosi.

PEDICELLI quinque, sex, umbellati, inaequales.

CALYX hirsutus.

COROLLA lutea, calyce duplò major.

*HABITAT* in nemoribus *Panatahuas.*

*FLORET* Julio, Augusto et Septembri.

*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Corolla cum staminibus. 3 Capsula cum calyce clausa. 4 Eadem cum calyce dehiscens. 5 Semina.

## *CALCEOLARIA CORYMBOSA.* ICON. XX. *Fig. b.*

3. C. foliis radicalibus ovatis cordatisque petiolatis bicrenatis; caulinis cordatis semiamplexicaulibus.

PLANTA herbacea, hirsuta.

RADIX fasciculata, fibrillosa.

CAULIS bipedalis, erectus, simplex, teres, solitarius, supernè dichotomus, foliosus, infernè nudus.

FOLIA radicalia, petiolata, ovata, aliquando cordata, obtusa, ampla, duplicato-crenata, subtus albida, venosa, nervosa; *floralia* distantia, opposita, semiamplexicaulia, integerrima; *inferiora* crenata, cordata.

PEDUNCULI terminales axillaresque, dichotomi, multiflori: *intermedii* uniflori; *laterales* umbellati.

FLORES ante explicationem nutantes.

COROLLA lutea, lineis et punctis sanguineis variegata: *Labium inferius* magnum: *superius* patens.

ANTHERAE bilobae : *lobis* oblongis, horizontalibus, unilocularibus, supernè rimâ hiantibus, tandem reflexis.
*HABITAT* in umbrosis urbis *Conceptionis Chile*.
*FLORET* Septembri, et Octobri.
*VERNACULE Arguenita* nuncupant.
*VIRES* : Diureticâ virtute pollet.

*CALCEOLARIA PERFOLIATA.* ICON. XXI. *Fig. a.*

4. C. foliis sagittatis dentatis, petiolis alatis perfoliatis.
*CALCEOLARIA* (*perfoliata*) foliis perfoliatis, spathulato-sagittatis. LINN. *fil. supp. p. 86.*
*CALCEOLARIA* (*perfoliata*) foliis perfoliatis, sagittatis, utrinque villosis. SMITH. *fasc. 1. p. 4.*
PLANTA herbacea, viscosa, hirsuta. *Villi longiores* setacei, articulati : *breviores* glandulâ terminati.
CAULIS sesquipedalis, erectus, infernè parum ramosus.
RAMI patentes, teretes, dichotomi.
FOLIA petiolata, ampla, sagittata, duplicato-dentata, rugosa, patentia, subtus venosissima. *Folia duo* opposita, sessilia, aliquando solitaria in singulo pedunculo, ad insertionem pedicellorum, ovata, acuta, serrata.
PETIOLI alati, perfoliati : alis inferius dilatatis, dentatis.
PEDUNCULI axillares terminalesque, solitarii, dichotomo-umbellati, multiflori, aliquando umbellati, 4 5-6flori, teretes, longissimi.
PEDICELLI tenues, longi, inaequales.
COROLLA lutea, glabra.
*HABITAT* in lapidosis et aridis *Chinchao*, *Muña* et *Chaclla*.
*FLORET* Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx postice visus. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina.

*CALCEOLARIA TOMENTOSA.* ICON. XXII. *Fig. b.*

5. C. foliis cordato-triangularibus duplicato-serratis subtus tomentosis, petiolis connatis, pedunculis 6-8floris.
PLANTA herbacea, quadripedalis.
CAULIS erectus, ramosus, teres, glaber.
FOLIA cordato-triangularia, lata, duplicato-serrata, supra leviter pubescentia, rugosa, subtus tomentosa.
PETIOLI connati, alati, serrati.
PEDUNCULI terminales, teretes, pubescentes, lutei, sexoctoflorique.
CALYCES viridi-lutescentes.
COROLLAE luteae, magnae.
*Obs.* Maximam affinitatem cum *C. perfoliata* habet.
*HABITAT* in umbrosis *Tarmae*, *Cuchero*, *Muña* et *Huassa-huassi*.
*FLORET* à Novembri ad Februarium.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Corolla cum staminibus. 3 Capsula dehiscens. 4 Semina.

*CALCEOLARIA BICRENATA.* ICON. XXIII. *Fig. b.*

6. C. foliis ovatis bicrenatis subtus tomentosis.
PLANTA herbacea, annua, bipedalis.
CAULIS erectus, teres, ramosus.
FOLIA breviter petiolata, ovata, rugosa, duplicato-crenata, subtus tomentosa ; *superiora* serrata.
PETIOLI connati, hirsuti.
PEDUNCULI terminales, corymbosi.
PEDICELLI numerosi, umbellati, inaequales, hirsuti.
CALYCES villosi.
COROLLA lutea, calyce duplò major.
*HABITAT* in *Cuchero* nemoribus.
*FLORET* Julio, Augusto et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Corolla. 3 Stamina.

*CALCEOLARIA INVOLUTA.* ICON. XXIII. *Fig. a.*

7. C. foliis ovatis acutis serratis, corollis involutis calycem semitegentibus.
PLANTA suffruticosa, tripedalis, glabra.
CAULIS erectus, teres, ramosus.
RAMI consimiles.
FOLIA breviter petiolata, ovata, acuta, serrata, rugosa.
PEDUNCULI terminales, corymbosi.
PEDICELLI axillares terminalesque, umbellati.
CALYX reflexus.
COROLLA involuta, calycem semitegens.
*HABITAT* in *Panatahuas* nemoribus.
*FLORET* Julio, Augusto et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Corolla cum staminibus. 3 Capsula cum calyce. 4 Semina.

*CALCEOLARIA PUNICEA.* ICON. XXIV. *Fig. a.*

8. C. caule repente, foliis ovalibus serratis, floribus puniceis.
PLANTA herbacea, hirsuta.
RADIX fasciculata, fibrosa.
CAULIS teres, repens, ramosus.
RAMI erecti.
FOLIA opposita, ovalia, serrata, supra glabra, petiolata.
PETIOLI breves, connati.
PEDUNCULI terminales, bifidi, 7-8flori.
FLORES umbellati, longè pedicellati.
PEDICELLI inaequales.
CALYX parvus.
COROLLA punicea, glabra.
*HABITAT* in *Panatahuas* nemoribus ad *Chicoplaya*.
*FLORET* Julio, Augusto et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Capsula cum calyce.

*CALCEOLARIA OBLONGA.* ICON. XXIV. *Fig. b.*

9. C. foliis oblongis serratis, pedunculis trifidis, corollis intus punctatis.
PLANTA herbacea, hirsuta, annua.

Radix fasciculata, fibrosa.
Caulis erectus, teres, sesquipedalis, simplicissimus.
Folia breviter petiolata, oblonga, serrata, patentia.
Pedunculus terminalis, trifidus, subdichotomus.
Flores tres sexque ex singulo pedunculo partiali.
Pedicelli inaequales.
Calyx parvus, hirsutus.
Corolla glabra, lutea, intus punctis coccineis maculata.
*Habitat* in *Panatahuas* montibus.
*Floret* mense Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Corolla cum staminibus. 3 Capsula cum calyce dehiscens. 4 Semina.

## *CALCEOLARIA heterophylla.* Icon. XXI. *Fig. b.*

10. C. foliis ovatis ellipticis subcordatisque serratis, pedunculis longissimis dichotomis.

Planta herbacea, hirsutissima. *Villi* ferruginei, biformes: *longiores* setosi, articulati: *breviores* glandulâ terminati.
Radix fibrillosa.
Caulis erectus, pedalis, quadrangularis, ramosus.
Rami erecto-patuli, purpurascentes.
Folia petiolata, patentia, ovata, elliptica, subcordata, oblonga subrotundaque, serrata, saepe duplicato-serrata, subtus venosissima.
Pedunculi terminales, et ex axillis superioribus, viscosi.
Pedicelli *longissimi, dichotomi, uniflori*: *duo* ex dichotomia inferiori inaequales; *reliqui* solitarii.
Calyx striatus, patentissimus.
Corolla lutea, semiaperta, glabra.
Stamina exserta.
*Habitat* in *Muña* nemoribus.
*Floret* Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx posticè visus. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Capsula dehiscens. 5 Semen auctum.

## *CALCEOLARIA uniflora.* Icon. XX. *Fig. c.*

11. C. foliis ovatis serratis, pedunculis longis filiformibus unifloris.

Planta suffruticosa.
Caulis quadripedalis, ramosissimus, teres.
Rami *juniores* pubescentes, altero latere atro-purpurei.
Folia saepe terna, breviter petiolata, ovata, pubescentia, serrata: *tenera* subtus tomentosa.
Pedunculi *axillares* solitarii; *terminales* quaterni, filiformes, longi, uniflori, ad medium bifolii; *foliolis* integerrimis, utrinque pubescentibus.
Calyx pubescens.
Corolla lutea.
*Habitat* in umbrosis *Tarmae* ad *Curis*.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.

## *CALCEOLARIA biflora.* Icon. XX. *Fig. a.*

12. C. foliis ovatis serratis crenatisque, pedunculis geminis filiformibus unifloris.

*Calceolaria* (*ovata*) caule ramoso, foliis ovatis, crenatis. Smith. *fasc. 1. p. 3. t. 3.*
Planta densè pubescens. *Villi* albidi, pellucidi; *longiores* setacei, articulati: *breviores* glandulâ terminati.
Radix fibrosa.
Caulis herbaceus, erectus, teres, ramosiusculus.
Rami *inferiores* oppositi; *superiores* alterni, distantes.
Folia breviter petiolata, ovata, integerrima, saepius serrata; *nonnulla* serrato-crenata, subtus venosa.
Pedunculi axillares, filiformes, uniflori, duo ex alterâ axillâ, quorum alter paulò longior; rarissimè solitarii.
Calyx quadripartitus: *laciniis* ovato-rhombeis.
Corolla minima, lutea.
*Obs.* Cùm plures hujus Generis Species foliis ovatis gaudeant, nomen triviale *ovata* à Smith impositum excludendum videtur, et ideo *Calc. bifloram* à pedunculis geminis diximus.
*Habitat* copiosè in arenosis altis *Chancay* et *Limae*.
*Floret* Octobri.

## *CALCEOLARIA inflexa.* Icon. XXV. *Fig. a.*

13. C. foliis ovatis acutis crenulatis, pedunculis inflexis 3-4floris.

Planta suffruticosa, scandens.
Caulis ramosissimus, teres, cortice scabriusculo, tenui, secedente tectus, tandem ferrugineo-purpurascens, laevis, nitidiusculus.
Rami brachiati, inflexi, cauli similes.
Folia petiolata, ovata, acuta, è medio ad apicem crenulata, horizontaliter saepe deflexa, patentia, subtus venosissima, subincana.
Petioli connati.
Pedunculi axillares terminalesque, brachiati, inflexi, longi, quadriflori, saepe triflori.
Pedicelli subaequales, umbellati. *Foliola duo* ovata, sub singula umbella.
Calyx quadripartitus, lutescens: *laciniis* lateralibus vix latioribus.
Corolla luteo-aurea.
Filamenta duo, lineari-subulata, longitudine labii superioris.
*Habitat* in *Cantae* praerruptis.
*Floret* Majo, Junio et Julio.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Stamina. 3 Pistillum cum calyce. 4 Capsula cum calyce. 5 Eadem dehiscens. 6 Semina.

## *CALCEOLARIA bicolor.* Icon. XXV. *Fig. b.*

14. C. foliis ovato-cordatis acutis venosissimis rugosis biserratis, pedunculis multifloris, dichotomo-umbellatis.

PLANTA suffruticosa, pubescens, incana.
CAULIS biulnaris, erectus, teres, ramosissimus.
RAMI subdependentes, obtusè quadrangulares, lignosi, fragiles, ferrugineo-purpurei.
FOLIA terna oppositaque, petiolata, patentia, ovato-cordata, acuta, duplicato-serrata, rugosa, venosissima.
PEDUNCULI axillares terminalesque, multiflori, umbellato-dichotomi. *Foliola duo*, parva, ovata, sessilia, subintegerrima sub singulis dichotomiis.
PEDICELLI inaequales, tenues, villis glandulâ terminatis.
COROLLA è medio ad basim alba, supernè aureo-sulphurea.
*HABITAT* in *Cantae* praerruptis, argillosis et petrosis.
*FLORET* à Martio ad Julium.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Stamina. 3 Pistillum cum calyce.

## *CALCEOLARIA* TRIFIDA. ICON. XXVI. *Fig. b.*

15. C. foliis cordatis ovatisque crenato-serratis, pedunculis trifidis multifloris umbellatis.
PLANTA suffruticosa, bi-tripedalis.
CAULIS ramosus, erectus, teres, glabriusculus.
RAMI consimiles; *teneri* leviter tomentosi.
FOLIA opposita ternaque, breviter petiolata, cordato-ovata, crenato-serrata, supra leviter pubescentia, subtus canescentia: *Villi* glanduliferi.
PETIOLI connati.
PEDUNCULI axillares terminalesque, solitarii, longi, suboctoflori, trifidi, umbellati, canescentes: *intermedii* uniflori.
COROLLA lutea.
FILAMENTA duo, linearia, plana.
*HABITAT* in *Cheuchin* locis umbrosis prope aquas.
*FLORET* Martio, Aprili et Majo.
*VERNACULE Tumpu.*
*VIRES*: febrifuga et antiseptica.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula cum calyce dehiscens.

## *CALCEOLARIA* FLEXUOSA. ICON. XXVI. *Fig. a.*

16. C. foliis cordatis crenatis, pedunculis multifloris umbellatis.
PLANTA frutescens, villosa: *villis* articulatis, glanduliferis.
CAULIS erectus, teres, ramosus, asper.
RAMI consimiles, flexuosi.
FOLIA petiolata, distantia, patentia, cordata, crenata, supra aspera, subtus venosa.
PEDUNCULI axillares terminalesque, longi, trifidi, umbellati, septem-undecimflori.
CALYX quadripartitus: *laciniis* patentibus: *lateralibus* latioribus.
COROLLA lutea.
FILAMENTA duo, labii superioris corollae ferè longitudine. *Antherae* post effusionem pollinis deflexae.
*HABITAT* in praerruptis *Cantae*.



*FLORET* Majo, Junio et Julio.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula cum calyce dehiscens.

## *CALCEOLARIA VERTICILLATA.*

17. C. foliis ternis cordatis acutis serratis, pedunculis quadrifloris.
PLANTA suffruticosa, glabra.
CAULIS orgyalis, erectus, ramosus, teres.
RAMI teretes, paleacei coloris, erecto-patuli.
FOLIA omnia verticillato-terna, breviter petiolata.
PEDUNCULI axillares, quadriflori; sub singulis binis pedicellis foliolum unicum.
COROLLA lutea.
*HABITAT* in *Cantae* praerruptis ad *Quive*.
*FLORET* à Decembri ad Martium.

## *CALCEOLARIA* GLAUCA. ICON. XXVII. *Fig. c.*

18. C. foliis lanceolatis serratis, pedunculis tri-quadrifloris, corollis maculatis.
PLANTA suffruticosa.
CAULIS tripedalis, ramosissimus, teres.
RAMI erecti, terni oppositique, lignosi, fragiles, teretes: *teneri* leviter pubescentes, subpurpurei.
FOLIA terna, saepe opposisa, breviter petiolata, patentia, lanceolata, serrata, venosa, utrinque leviter pubescentia, supra glauca; serraturis aliquando interruptis.
PEDUNCULI ex axillis superioribus, quadriflori, rariùs triflori, bi-trifolii.
FLORES umbellati.
COROLLA sulphurea, saepe ad basim interiorem punctis purpureis maculata.
FILAMENTA brevissima, infernè lata, supernè sensim attenuata.
CAPSULAE parvae.
*HABITAT* in *Cantae* circuitu, prope *Obrajillo* vicum.
*FLORET* per totum ferè annum.
*Explic. Icon.* 1 Stamina.

## *CALCEOLARIA* ANGUSTIFLORA. ICON. XXVIII. *Fig. a.*

19. C. foliis ovato-lanceolatis acutè serratis, pedunculis quadrifloris, corollis basi angustissimis.
PLANTA suffruticosa.
CAULIS bipedalis, erecto-patulus, teres, ramosissimus, helvoli coloris.
RAMI patentes, oppositi ternique, fragiles, teretes: *teneri* hirsuti, purpurascentes.
FOLIA opposita ternaque, breviter petiolata, ovato-lanceolata, acutè serrata, venosa, utrinque pubescentia, tenuia. *Foliola duo* sub quatuor pedicellis, opposita, lanceolata, integra.

Pedunculi axillares, solitarii, hirsuti, quadriflori, foliis breviores, tenues.
Pedicelli graciles, subaequales.
Calyx quadripartitus: *laciniis* patentibus, pubescentibus.
Corolla parva, lutea; basi interius punctis purpureis maculata, angustissima.
*Habitat* in *Cantae* versuris circa *Obrajillo* vicum.
*Floret* per totum ferè annum.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Stamina.

## *CALCEOLARIA dentata.* Icon. XXIX. *Fig. b.*

20. C. foliis ovatis argutè bidentatis.
Planta suffruticosa, ferè tripedalis, hirsuta, viscosa.
Caulis ramosissimus, teres.
Rami virgati, teretes, infernè glabri.
Folia opposita, aliquando terna, petiolata, ovata, acuta, duplicato-dentata, denticulis acutis: *adulta* glabra.
Pedunculi terminales, corymbosi.
Pedicelli secundi, teretes, flexuosi, tenues.
Corolla lutea, glabra.
Capsula bivalvis, bilocularis; *valvulis* bifidis.
Semima fulva.
*Habitat* in *Conceptionis Chile* silvis.
*Floret* Decembri, Januario et Februario.
*Obs.* Folia amariusculo sapore (Cortici Peruviano accedenti) praedita sunt.
*Explic. Icon.* 1 Calyx cum pistillo. 2 Stamina. 3 Capsula cum calyce dehiscens. 4 Semina aucta. 5 Villi aucti.

## *CALCEOLARIA viscosa.* Icon. XXX. *Fig. a.*

21. C. foliis ovatis acutis serratis viscosissimis, calycibus tomentosis.
Planta suffruticosa, viscoso-resinosa.
Caulis ramosus, erectus, teres.
Rami compressiusculi, obsoletè tetragoni.
Folia petiolata, ovata, acuta, serrata, subtus venosa, albicantia, aliquando bisserrata.
Pedunculi terminales, umbellati.
Pedicelli *laterales* triflori; *intermedii* uniflori, tomentosi, compressi.
Flores initio cernui.
Corolla luteo-pallida, extus leviter pubescens.
*Habitat* in *Peruviae* alpibus in *Cantae* et *Tarmae* Provinciis.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Obs.* Folia trita *Teucrium Marum* redolent, et amarissimo sapore sunt praedita.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Stamina.

## *CALCEOLARIA deflexa.* Icon. XXX. *Fig. b.*

22. C. foliis ovato-lanceolatis serrulatis, floribus terminalibus corymbosis, pedicellis 4-5floris nutantibus.
Planta suffruticosa, glabra.
Caulis biulnaris, erectus, teres, ramosus.
Rami erecto-patuli, purpurei; *teneri* viscoso-resinosi, villosiusculi.
Folia deflexa, breviter petiolata, ovato-lanceolata, acuta, supra lucida, subtus albicantia, serrulata; *floralia* integerrima.
Petioli connati.
Pedunculi axillares terminalesque, longi, umbellato-dichotomi, quatuor quinqueflori, *foliolis duobus* lanceolatis suffulti.
Pedicelli inaequales.
Flores nutantes.
Corolla luteo-crocea.
*Habitat* in Provincia *Caxatambo* ad *Cheuchin*, prope torrentes.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Obs.* Folia amariuscula.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Stamina.

## *CALCEOLARIA salicifolia.* Icon. XIX. *Fig. b.*

23. C. foliis lanceolatis serratis, pedunculis geminis terminalibus umbellatis dichotomisque.
Planta suffruticosa, glaberrima.
Caulis sexpedalis, erectus, teres, ramosus, fragilis, duplici cortice tectus: *exteriori* cinereâ, membranaceâ, rimosâ; *interiori* ferrugineâ.
Rami brachiati, obsoletè tetragoni; *teneri* viscoso-resinosi.
Folia petiolata, patentia deflexaque, lanceolata, acuta, serrata; supra nitida, viscoso-resinosa; subtus venoso-reticulata, cinerea, rugosiuscula, (*Salviae officinalis* instar): *folia duo* sub singulis umbellis, et umbellulis serrata integerrimaque.
Pedunculi terminales, gemini, longi, dichotomo-umbellati, octo, decemflori, aliquando umbellati, quadriflori.
Pedicelli longi, teretes, aequales, uniflori.
Calyx quadripartitus: *laciniis* in fructu deflexis.
Corolla maxima, sulphurea, pubescens: *Villis* glanduliferis.
*Habitat* copiosè in *Peruviae* praerruptis et uliginosis ad *Huassahuassi*, *Huanucum* et *Pillao*.
*Vernacule Pachacça.*
*Floret* à Januario ad Augustum.
*Explic. Icon.* 1 Stamina. 2 Pistillum. 3 Capsula cum calyce dehiscens.

## *CALCEOLARIA sessilis.*

24. C. foliis lanceolatis serratis semiamplexicaulibus rugosis canescentibus.
Planta suffruticosa.
Caulis erectus, bipedalis, ramosus, teres, fragilis.
Rami consimiles.
Folia semiamplexicaulia, lanceolata, acuta, serrata, rugosa, incana.

Pedunculi terminales, longi, umbellati, dichotomi, multiflori.
Pedicelli longi, erecti, uniflori.
Corollae flavae.
*Habitat* in locis aridis prope *Conceptionem Chile.*
*Floret* Februario, et Martio.
*Vernacule Arguenita.*

*CALCEOLARIA rugosa.* Icon. XXVIII. *Fig. b.*

25. C. foliis lanceolatis bidentatis, petiolis connatis alatis, pedunculis dichotomis multifloris.
*Calceolaria* (*integrifolia*). Linn. *Sp. plant. tom. 1. p. 49.*
*Calceolaria* Salviae folio. Fewill. *Peruv. tom. 3. p. 13. planch. 7.*
Planta suffruticosa, pubescens, (*Salviae officinalis* habitu).
Caulis bipedalis, erectus, infernè ramosus, teres.
Folia lanceolata, bidentata, rugosa, subtus venosissima.
Petioli connati, alati.
Pedunculi terminales axillaresque, dichotomi, multiflori, subcorymbosi.
Corolla sulphurea.
*Habitat* in *Conceptionis Chile* praerruptis, aridis, argillosis et arenosis.
*Floret* Februario, et Martio.
*Vernacule Chachaul*, vulgò *Arguenita.*
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem dehiscens.

*CALCEOLARIA pulverulenta.*

26. C. foliis oblongo-lanceolatis dentato-serratis albidis, ramis pulverulentis.
Planta suffruticosa.
Caulis orgyalis, ramosissimus, erectus, teres.
Rami teretes, erecto-patuli, pulvere canescenti aspersi.
Folia breviter petiolata, incana.
Pedunculi axillares, solitarii, subquadriflori, foliolum unicum sub binis pedicellis.
Corolla omnino lutea.
*Habitat* in *Cantae* praerruptis.
*Floret* Decembri ad Martium.

*CALCEOLARIA scabra.* Icon. XXIX. *Fig. a.*

27. C. foliis oblongis dentatis venoso-lineatis, caule aspero.
Planta suffruticosa, hispido-scabra.
Caules tripedales, plures, virgati, teretes, scabri, purpureo-ferruginei, ramosi, supernè dichotomi.
Rami leviter striati, breves, axillares.
Folia approximata, subsessilia, oblonga, dentata, rugosa, supra venoso-lineata, patentia, marginibus revolutis.
Pedunculi ex axillis superioribus, longitudine foliorum, solitarii, uniflori, ferè in corymbum dichotomum.
Corolla lutea, parva.
*Habitat* in *Tarmae* et *Muña* praerruptis.
*Floret* à Majo ad Augustum.
*Explic. Icon.* 1 Stamina. 2 Semina aucta. 3 Villi aucti.

*CALCEOLARIA cuneiformis.* Icon. XXVII. *Fig. b.*

28. C. foliis cuneiformibus ovatisque inciso-serratis.
Planta suffruticosa, bipedalis, hirsuta.
Caulis erectus, ramosissimus, teres, rimosus: cortice secedente.
Rami brachiati, breves, divisi, supernè dichotomi, scabri, ferruginei, teretes.
Folia approximata, petiolata, cuneiformia ovataque, supernè inciso-serrata, supra lineata, hirsuta, subtus tomentosa, incana, marginibus leviter reflexis.
Pedunculi terminales, trifidi, corymbosi.
Pedicelli uniflori.
Calyx quadripartitus; *laciniis* ovatis, acutis; lutescens.
Corolla lutea.
Semina fulva.
*Habitat* in *Cantae* et *Tarmae* alpibus.
*Floret* Majo, Junio et Julio.
*Obs.* Folia masticata tincturam luteam praebent.
*Explic. Icon.* 1 Stamina.

*CALCEOLARIA linearis.*

29. C. foliis linearibus integerrimis subtus albidis, pedunculis unifloris.
Planta suffruticosa.
Radix ramosa, fibrillosa.
Caulis bipedalis, erectus, ramosissimus, teres, lignosus, fragilis.
Rami consimiles.
Folia sessilia, linearia, integerrima, supra nitida, subtus albicantia.
Pedunculi axillares, teretes, uniflori, pubescentes.
Calyces subtomentosi.
Corolla lutea.
*Habitat* in Provinciae *Xauxae* collium declivibus ad *Ocopae* Collegium.
*Floret* Julio, et Augusto.

*CALCEOLARIA alba.* Icon. XXVII. *Fig. b.*

30. C. foliis linearibus denticulatis, racemis longis, floribus umbellatis; umbellis compositis.
Planta suffruticosa, viscoso-resinosa, (*Rorismarini* odore).
Caules plures, virgati, simplicissimi, lignosi, fragiles, teretes, aurei coloris.
Folia confertissima, subconnata, linearia, angustissima, (*Pini* habitu) denticulata, margine scabra: plurima ex singulis axillis fasciculata, inaequalia.

Racemi terminales, subpaniculati, foliosi.
Pedunculi axillares, solitarii, longitudine ferè foliorum.
Flores umbellati: *umbella* composita 3-4phylla: *Foliola duo* sub singulis umbellis et umbellulis.
Pedicelli intermedii uniflori.
Corolla alba.
*Habitat* copiosè in collibus aridis ventosis *Rere* Provinciae Regni Chilensis, circa fluvium *Biobío*.
*Floret* Decembri.
*Obs.* Folia valde amara.
*Explic. Icon.* 1 Stamina.

### *CALCEOLARIA virgata.* Icon. XXXI. *Fig. a.*

31. C. foliis ovatis obtusè serratis, ramis virgatis, pedunculis capillaribus multifloris.
Planta suffruticosa, (*Melissae Calaminthae* habitu.)
Radix fibrillosa.
Caulis bipedalis, erectus, ramosissimus, teres.
Rami erecti, virgati, oppositi ternique, inaequales, fragiles: *teneri* subpurpurascentes, leviter pubescentes.
Folia opposita ternaque, breviter petiolata, patentia, ovata, obtusè serrata, venosissima, obtusa, utrinque pubescentia.
Pedunculi dichotomi, filiformes, graciles, pubescentes, quadriflori, saepe 5-8flori: *terminales* terni, quaterni; *axillares* solitarii.
Pedicelli uniflori, aliquando biflori.
Calyces *pubescentes.*
Corolla parva, lutea, ore punctis purpureis maculata, ad basim villosa, ultra basim lineâ transversali purpureâ.
Stylus subulatus, curvatus. *Stigma* obsoletè emarginatum.
*Habitat* in *Cantae* circuitu.
*Floret* per totum ferè annum.

## PINGUICULA. Linn. *Gen. pl. p.* 19.

### *PINGUICULA involuta.* Icon. XXXI. *Fig. c.*

1. P. nectario conico longitudine petali, scapo unifloro villoso, foliis ovatis, marginibus involutis.
Planta annua.
Radix fibrosa.
Scapi duo ad octo solitariique, palmares, erecti, apice curvati, filiformes, teretes, villosi, uniflori.
Folia depressa, in stellae formam, saepius sex, aliquando 7-10, ovata, integerrima, marginibus involutis, carnosa, subtus castaneae coloris.
Flos cernuus.
Corolla violacea. *Faux* villosa.
Nectarium conicum, longitudine petali, acutum, curvatum.
*Habitat* in altis frigidis et humidis *Pillao*, et *Panao Huassahuassi*, inter Muscos.
*Floret* Octobri, Novembri et Decembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina.

## UTRICULARIA. Linn. *Gen. pl. p.* 19.

### *UTRICULARIA aphylla.* Icon. XXXI. *Fig. d.*

1. U. Scapo bi-quadrifloro squamis totidem apice furcato.
Planta annua, cespitosa, aphylla.
Radix capillaris, utriculis reniformibus, nigris, sinapi seminum ferè magnitudine.
Scapus solitarius, nudus, bi-quadriflorus, bi-quadrisquamatus, filiformis, tenuis, glaber, sesquipalmaris, simplex, apice bifidus; *laciniâ alterâ* longiori ad medium squamatâ.
Squamae ovatae, membranaceae, integerrimae, semiamplexicaules.
Corolla lutea, nectario conico-subulato: *Labium superius* crenaturis 3-5.; *inferius* tribus.
*Habitat* in inundatis et humidis *Surco* et *Limae.*
*Floret* Decembri, Januario et Februario.

### *UTRICULARIA unifolia.* Icon. XXXI. *Fig. b.*

2. U. Scapo squamato unifloro, calyce maximo cordato.
Planta annua, unifolia.
Radix fasciculata: *Radiculae pauciores* filiformes, fibrillosae, longissimae, nonnullis utriculis minimis; *reliquae* tuberosae, oblongae, pendulae, brevissimae.
Scapus simplex, ferè pedalis, erectus, teres, glaber, uniflorus; *squamis* tribus, linearibus, alternis, distantibus.
Folium unicum radicale, lanceolatum, integerrimum, subtus venosum, glabrum, longè petiolatum.
Petiolus teres.
Involucrum tetraphyllum: *foliolis tribus* inaequalibus, lanceolatis, angustis, venosis; *altero* subulato, minimo.
Flos unicus, terminalis.
Calyx maximus; *foliolis* cordatis, integerrimis, venosissimis.
Capsula ovalis.
*Habitat* in *Panao* montibus altis.
*Floret* Aprili, et Majo.

## VERBENA. Linn. *Gen. pl. p.* 20.

### *VERBENA virgata.* Icon. XXXII. *Fig. b.*

1. V. tetrandra, spicis axillaribus ternis gracilibus, floribus verticillatis, foliis ovatis acutis crenatis.
Planta frutescens, biorgyalis, fragrans.
Caulis erectus, teres, ramosissimus.
Rami virgati, longissimi, patentiusculi, obsoletè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, patentia, ovata, acuta, crenata, supra retrorsum scabra, subtus pubescentia, venosissima, rugosa.
Inflorescentia paniculata, plurimis spicis composita.
Spicae axillares terminalesque, ternae, simplices, graciles, foliis 2-3plo longiores.

Flores verticillati, quaterni, saepe 3-6ni, sessiles, *bracteis* lanceolatis, acutis, minimis suffulti.

Calyx tubulosus, villosus, profundè bifidus: *laciniis* semibifidis, acutis, subaequalibus, subulatis; inferus, persistens.

Corolla alba, hypocrateriformis, inaequalis. *Tubus* cylindraceus, incurvus, calyce paulò longior. *Limbus* bilabiatus: *labio superiori* obcordato: *inferiori* tripartito; *laciniis* obcordatis, aequalibus.

Stamina: *Filamenta* quatuor, quorum duo brevissima, subulata. *Antherae* ovato-sagittatae.

Pistillum: *Germen* ovatum, didymum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum majorum. *Stigma* emarginatum.

Pericarpium: *Calyx* immutatus, semina continens.

Semina duo, connexa, ovato-oblonga, extus convexa, laevia, intus plana.

*Obs. 1. Haec species* et *V. triphylla L'heritier* inter se congruunt *Foliis* petiolatis non decurrentibus; *Inflorescentiâ* paniculatâ; *Spicis* axillaribus; *Floribus* verticillatis; *Calyce* semibifido: *laciniis* bifidis, subaequalibus; *Stigmate* capitato, obtuso, leviter emarginato; *Seminibus* duobus laevibus. Quibus notis addi potest, suffrutices esse fragrantes, ramosissimos, ramis virgatis, teretibus, supernè tantum tetragonis. Ideoque in §. 2. L'heritier collocandae sunt *Verbena* nostra *virgata*, et *V. triphylla.*

*Obs. 2.* D. L'heritier. fasc. 2. pag. 22. sequentem observationem addidit: „ *Inter* Verbenas *haec species* (*V. triphylla*) *cum* Verbenâ globiflorâ, staechadifoliâ et nodiflorâ *novum* §. *scilicet tetrandrarum dispermarum constituunt.* Verbenae *itaque ordinandae.*

§. 1. Diandrae dispermae *Vid. Linnaeum.*

§. 2. Tetrandrae dispermae. *V. triphylla, globiflora, staechadifolia, nodiflora.*

§. 3. Tetrandrae tetraspermae. *V. bonariensis, hastata, caroliniana, urticifolia, officinalis, supina, Aubletia.*

*Obs. 3.* Idem fasc. 2. pag. 24. *In* Verbenis *nonnullis dispermis Perianthium immutatur, transitque in Arillum bipartibilem seu diphyllum.* V. mexicana, nodiflora, globiflora.

*Habitat* in nemoribus *Pozuzo.*

*Floret* Augusto, et Septembri.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla posticè visa. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum. 6 Semina coadunata. 7 Eadem disjuncta.

## *VERBENA multifida.* Icon. XXXIII. *Fig. c.*

2. V. tetrandra, floribus capitato-umbellatis, foliis semi-trifidis: laciniis bi-trifidis.

*Lychnidea* verbenae temuifoliae folio, vulgò *Sandia Laguen.* Fewill. *Peruv. tom. 3. p. 35. planch. 25.*

*Erinus* (*laciniatus*) foliis laciniatis. Linn. *Sp. pl. t. 3. p. 177.*

Planta herbacea, inodora, pubescens.

Radix fibrosa, albicans.

Caules plurimi, prostrati, rarissimè radicantes, semipedales, teretes, pubescentes.

Folia opposita, sessilia, subtus pubescentia, supra nitida, trifida: *laciniis* linearibus, bi-trifidis, rariùs quadrifidis.

Flores numerosi, terminales, sessiles, capitato-umbellati, distincti totidem *bracteolis* lanceolato-subulatis, persistentibus, in fructu spicati.

Calyx quinqueangularis, prismaticus, quinquefidus; *laciniis* acutis; *supremâ* paulò breviori.

Corolla purpureo-carnea, hypocrateriformis. *Tubus* calyce duplò longior. *Limbus* patens, profundè quinquefidus; *laciniis* emarginatis: *duabus superioribus* angustioribus. *Faux* antheris villisque clausa.

Stamina: *Filamenta* quatuor, brevissima, quorum duo breviora.

Pistillum: *Germen* tetragonum. *Stylus* supernè sensim incrassatus. *Stigma* bilobum: *lobo* altero acuto, supremo obtuso, subrotundo.

Semina quatuor, oblonga, intus concava, extus convexa, intra calycem ventricosum, saepius duo abortiunt.

*Habitat* in collibus aridis ventosis *Conceptionis Chile.*

*Floret* Octobri, et Novembri.

*Vernacule Sandia-Laguen* nuncupatur.

*Vires et usus*: Incolae plantae infuso, et decocto aquoso tanquam efficacissimo diuretico et aperitivo frequentissimè utuntur, et partum promovere, atque urinae ardorem demulcere testantur.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx cum bractea. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Semina.

## *VERBENA clavata.* Icon. XXXIII. *Fig. b.*

3. V. tetrandra, foliis senis quinisque biformibus, floribus capitato-umbellatis, antheris superioribus dorso clavatis.

Planta fruticosa, incana, hispidiuscula, procumbens.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caules plures, subpedales, ramosissimi, teretes, infernè nudi, canescentes.

Rami conferti, cauli similes.

Folia sena, quinaque; *alternantia* semifida, cuneiformia, rariùs trifida; *reliqua* integerrima, lineari-lanceolata, marginibus revolutis.

Flores numerosi, terminales, sessiles, capitato-umbellati.

Bracteola unica, aliquando duae sub singulo flore, lineari-oblongae.

Calyx tubulosus, quinque-angularis, prismaticus, quinquefidus; *laciniis* acutis: *supremâ* paulò breviori.

Corolla inaequalis, rubro-purpurea, hypocrateriformis. *Tubus* calyce duplò longior, erectus ad calycis longitudinem, postea parum dilatatus, incurvatus. *Limbus* patens, semiquinquefidus; *laciniis tribus superioribus* latioribus, obcordatis: *intermediâ* vix majori: *duabus inferioribus* subrotundis, minoribus.

Stamina: *Filamenta* quatuor, subulata, brevissima: duo breviora ad medium tubi inserta, duo infra faucem co-

rollae insidentia, omnia inclusa. *Antherae* cordato-sagittatae, biloculares, utrinque dehiscentes, è dorso duarum superiorum *clavâ* prominulâ prodeunte.

GERMEN tetragonum. *Stylus* filiformis, tubi longitudine. *Stigma* bilobum: *lobo superiori* obtuso, incrassato: *inferiori* acuto.

CALYX semina continens.

SEMINA quatuor, oblonga, extus convexa, intus concava.

*Obs. Stigma* aliquando tridentatum.

*HABITAT* in arenosis *Arica*: unde D. Joannes Tafalla ad nos descriptionem et Iconem transmisit.

*FLORET* Augusto, et Septembri.

*Explic. Icon.* 1 Flos cum bractea. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Stamen cum clava. 5 Pistillum. 6 Semina.

### *VERBENA corymbosa.* ICON. XXXIII. *Fig. a.*

4. V. tetrandra, floribus spicatis corymbosis, foliis cordato-triangularibus rugosis profundè serratis.

PLANTA herbacea, hispida; *villis* setaceis: *brevioribus* glanduliferis.

CAULIS tetragonus, pedalis, erectus, ramosus.

RAMI consimiles.

FOLIA opposita, sessilia, cordato-triangularia, profundè serrata, rugosa, retrorsum scabra, distantia, venosissima.

FLORES terminales, spicati.

SPICAE ternae in corymbum, oblongae.

BRACTEAE lanceolato-subulatae, intus ad basim concavae: unica sub singulo calyce.

CALYX tubulosus, pentagonus, prismaticus, quinquedentatus; *denticulis* acutis, *supremo* breviori.

COROLLA hypocrateriformis, violacea, extus pubescens. *Tubus* calyce longior, curvatus, fauce dilatatus. *Faux* hispidula. *Limbus* quinquefidus; *laciniis* inaequalibus, emarginatis.

STAMINA quatuor, intra tubum corollae. *Antherae* cordatae, biloculares, utrinque dehiscentes. *Stigma* bilobum; *lobo altero* obtuso, subrotundo, breviori.

PERICARPIUM: *Calyx* semina continens, ventricosus.

SEMINA quatuor, oblonga, extus convexa, sulcata, intus parum concava.

*HABITAT* in *Conceptionis Chile* ruderatis, et agris.

*FLORET* Novembri, et Decembri.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx cum bractea. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Semina.

### *VERBENA nodiflora.*

5. V. tetrandra, spicis capitato-conicis, foliis serratis, caule repente. LINN. *Sp. pl. p. 54.*

RADIX fibrosa.

CAULIS ramosissimus, repens, striatus; *striis* viridibus.

FOLIA sessilia, cuneiformia, apice serrata, lucido-punctata.

SPICAE ovato-conicae, axillares, solitariae, pedunculatae.

PEDUNCULI foliis breviores.

*HABITAT* copiosè in arvis, cultis et plateis *Limae*, *Chancay* et *Huanuci*.

*FLORET* per totum ferè annum.

### *VERBENA officinalis.*

6. V. tetrandra, spicis filiformibus paniculatis, foliis multifido-laciniatis, caule solitario. LINN. *Sp. pl. p. 55.*

*HABITAT* in Provinciis *Limae*, *Chancay* et *Huanuci*.

*FLORET* per totum ferè annum.

*VULGO Verbena.*

*Usus*: Ad mensium obstructiones ciendas, et abortum promovendum ab incolis decoctum commendatur.

### *VERBENA cuneifolia.* ICON. XXXII. *Fig. a.*

7. V. tetrandra, foliis trifidis; laciniis incisis, spicis ternis oblongis.

PLANTA herbacea, hispida.

CAULIS bipedalis, erectus, tetragonus, infernè ramosus.

RAMI saepe trifidi, consimiles.

FOLIA opposita, sessilia, semiamplexicaulia, cuneiformia, semitrifida; *laciniis* inciso-serratis, utrinque hispidis, retrorsum asperis.

SPICAE terminales, ternae: *intermediâ* solitariâ, breviter pedunculatâ: *lateralibus* solitariis ternisque, oblongis, pollicaribus.

BRACTEAE solitariae, lanceolato-subulatae.

CALYX pentagonus, prismaticus, quinquefidus; *laciniis* acutis: *supremâ* paulò breviori.

COROLLA hypocrateriformis, caerulea. *Tubus* calyce longior, supernè curvatus. *Limbus* profundè quinquefidus: *laciniis* subaequalibus, emarginatis. *Faux* subplicata.

FILAMENTA quatuor, brevissima, intra tubum corollae, duo breviora. *Antherae* incurvae.

GERMEN tetragonum. *Stylus* longitudine tubi. *Stigma* bilobum; *lobo superiori* obtuso; *inferiori* acuto, longiori.

CALYX semina continens, ventricosus.

SEMINA quatuor, oblonga, extus convexa, intus concava.

*HABITAT* in arenosis *Huanuci* Provinciae ad *Mayubamba*.

*FLORET* Martio, Aprili et Majo.

*VULGO Verbena.*

*Explic. Icon.* 1 Calyx cum bractea. 2 Corolla. 3 Calyx semina involvens. 4 Semina.

### *VERBENA hispida.* ICON. XXXIV. *Fig. a.*

8. V. tetrandra, spicis ternis cylindricis, foliis ovatis oblongisque integris et subtrifidis profundè serratis semiamplexicaulibus.

PLANTA herbacea, hispida, perennis.

RADIX fibrillosa.

CAULES plures, pedales, patentes, tetragoni, ramosi.

RAMI consimiles.

Folia opposita, rariùs terna, semiamplexicaulia, per petiolum decurrentia, ovata, oblonga lanceolataque, integra subtrifidaque, profundè serrata, aliquando biserrata, venosissima, rugosa.
Spicae terminales, ternae, cylindricae, erectae, 1-2pollicares; *intermediae* breviter pedunculatae; *laterales* breviores, longè pedunculatae.
Flores confertissimi.
Bracteae semilanceolatae, ciliatae, calyce longiores, unica sub singulo flore.
Calyx quinqueangulatus, prismaticus, quinquedentatus; *denticulis* acutis, purpureis; *supremo* breviori.
Corolla monopetala, irregularis. *Tubus* curvatus, calyce longior, purpureus. *Limbus* subcaeruleus, profundè quinquefidus; *laciniis* emarginatis.
Stamina quatuor antherifera.
Stigma bilobum; *lobo superiori* obtuso: *inferiori* acuto.
Calyx semina continens, ventricosus.
Semina quatuor, oblonga, extrorsum convexa, sulcata, intus leviter concava.
*Habitat* in arenosis et cretaceis *Huanuci.*
*Floret* Martio, et Aprili.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bractea. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Pistillum. 4 Calyx cum bractea, semina continens. 5 Semina.

### *VERBENA dichotoma.* Icon. XXXIV. *Fig. b.*

9. V. diandra, spicis longissimis terminalibus et ex dichotomiis, foliis ovatis oblongisque serratis.

Planta suffruticosa.
Radix fibrosa, albidula.
Caulis tripedalis, erectus, infernè teres, parum ramosus.
Rami brachiati, dichotomi, supernè secundum articulationes compressi; articulationibus hispidis.
Folia opposita, petiolata, ovata oblongaque, acuta, venosa, subtus hispidula, serrata; serraturis acuminatis.
Spicae longissimae, pedales, solitariae, terminales et ex dichotomiis, arcuatae, subulatae.
Flores conferti, adpressi; *bracteolâ* subulatâ, calycis longitudine, persistenti stipati.
Calyces prismatici, pentagoni, quinquedentati; *denticulis duobus lateralibus* longioribus.
Stigma peltatum, bilobum.
Semina duo, extus striata.
*Habitat* in silvis *Cuchero* et *Chinchao.*
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteola. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Pistillum. 5 Calyx semina involvens. 6 Eadem connexa. 7 Eadem disjuncta.

## SALVIA. Linn. *Gen. pl. p.* 23.

### *SALVIA sagittata.* Icon. XXXV. *Fig. a.*

1. S. foliis sagittatis crenatis acutis.

Planta perennis, viscosa, hirsuta, villosa: *villi longiores* setacei, articulati; *breviores* glandulâ terminati.
Caulis orgyalis, erectus, tetragonus, infernè ramosissimus.
Rami divisi, brachiati, tetragoni, sulcati, saepe erecti; alioquin procumbentes, radicantes.
Folia longè petiolata, deflexa, sagittata, acuta, hinc acutè crenata, inde crenato-serrata, aliquando subhastata, rugosa, venosissima, aspera.
Racemi terminales, magni, compositi, brachiati, erecti.
Flores oppositi, breviter pedicellati, reflexi; *bracteolis* lanceolatis, caducis suffulti.
Calyces purpureo-violacei, trifidi; *laciniis* ovatis; *superiori* longiore, latiore, ovatâ, concavâ, tridentatâ.
Corolla obscurè caerulea, extus hirsuta, calyce quadruplò longior: *labio inferiori* propendente, majori.
Filamenta et *Antherae* caeruleae.
*Obs.* Semen unicum frequenter adolescit, et corpori glanduloso insidet.
*Habitat* copiosè in hortis, versuris et ruderatis *Tarmae, Huarocheri* et *Huanuci.*
*Floret* Majo, et Junio.
*Vulgo*: *Salvia Real.*
*Obs.* Incolae *Salviae officinalis* loco hanc Speciem substituunt.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina. 3 Pistillum. 4 Semen in receptaculo.

### *SALVIA cuspidata.* Icon. XL. *Fig. b.*

2. S. foliis cordato-sagittatis *inaequaliter* serratis, spicis longis, verticillis multifloris remotis, calycibus cuspidatis.

Planta suffruticosa, orgyalis.
Caulis erectus, ramosus, obtusè tetragonus.
Rami brachiati, tetragoni, pubescentes; *villi* in minimas congeries dispositi, albidi.
Folia breviter petiolata, cordato-sagittata, angulis posticis, obtusis, inaequaliter serrata, rugosa, venosissima, subtus punctis miniatis adspersa.
Spicae terminales; *intermedia* longissima.
Flores verticillati, breviter pedicellati: *verticilli* 6-10flori, remoti.
Bracteae oppositae, ovatae, acuminatae, concavae, deciduae, punctatae.
Calyx bilabiatus, obscurè caeruleus, punctatus, extus hirsutus, punctis incarnatis adspersus, intus scaber: *labio superiori* tricuspidato; *cuspide intermediâ* longiori: *labio inferiori* bifido, acuminato.
Corolla caerulea, calyce duplò longior.
*Habitat* in *Cheuchin* collibus.
*Floret* Aprili, et Majo.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina.

### *SALVIA longiflora.* Icon. XL. *Fig. a.*

3. S. foliis cordatis acutissimis bicrenatis, spicis longis nutantibus, bracteis calycibus coloratis, corollis longissimis.

Planta fruticosa, pubescens, viscosa.
Caulis subtriorgyalis, erectus, ramosissimus, hispidus: *villi longiores* setacei, articulati; *breviores* laeves, glandulâ terminati.
Rami erecto-patentes, tetragoni, viscosi, pubescentes.
Folia petiolata, patentia deflexaque, cordata, acutissima, longa, duplicato-crenata, rugosa, subtus venosa, hirsuto-tomentosa.
Petioli pubescentes, viscosi.
Spicae terminales, longae, nutantes.
Flores verticillati, pedicellati: *Pedicelli* teretes, inaequales, calyce duplò breviores.
Verticilli 1-4flori; *bracteis duabus* oppositis, ovatis, acutis, concavis, coloratis, deciduis sustentati.
Calyx ovatus, inflatus, coloratus: *labio inferiori* bifido; *superiori* integro, acuto.
Corolla longissima, calyce quintuplò longior, extus hirsuta, Laccae coloris: *labio superiori* integro, falcato: *inferiori* brevi, trifido; *laciniâ mediâ* concavâ. *Faux* stricta.
Stamina longitudine corollae.
Glandula turgida, receptaculo ad latus labii superioris insidens.
*Habitat* in praeruptis profundis *Tarmae* ad *Huichay* praedium.
*Floret* Januario, et Februario.
*Explic. Icon.* 1 Stamina. 2 Villi aucti.

## *SALVIA incurvata.* Icon. XLII. *Fig. b.*

4. S. foliis cordatis acutis serratis, labiis calycis incurvis, galeâ corollae bifidâ.
Planta herbacea.
Caulis bipedalis, erectus, tetragonus, supernè ramosus.
Rami erecti, tetragoni.
Folia longè petiolata, deflexa, cordata, acuta, serrata, venosissima, rugosa, subtus levissimè pubescentia, subincana.
Petioli foliis dimidiò breviores.
Spicae terminales, erectae, bipalmares.
Flores verticillati, breviter pedunculati.
Verticilli 4-6flori, patentes; *bracteolis* ovatis, deciduis stipati.
Calyces tubuloso-campanulati: *labiis* incurvis, acutis: *superiori* integro; *inferiori* bifido.
Corolla calyce duplò longior, purpureo-caerulea: *labio superiori* concavo, bifido; *inferiori* obtusè trifido; *laciniâ mediâ* emarginatâ.
*Habitat* in circuitu *Muña.*
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina.

## *SALVIA acutifolia.* Icon. XXXVIII. *Fig. b.*

5. S. foliis cordatis acutis obtusè serratis, spicis verticillatis.
Planta orgyalis, fruticosa.
Caulis erectus, obtusè tetragonus, ramosus.
Rami oppositi, erecti, tomentosi, obtusè tetragoni, sulcati.
Folia petiolata, cordata, acuta, obtusè serrata, aliquando duplicato-serrata, serraturis approximatis, supra rugosa, utrinque tomentosa, venosissima.
Spicae terminales, verticillatae.
Verticilli 6-12flori, approximati.
Flores breviter pedunculati, secundi.
Bracteae oppositae, ovato-lanceolatae, acutae, carinatae, caducae, tomentosae.
Calyx tomentosus, intus scaber, bilabiatus, aequalis; *labio superiori* integro; *inferiori* bifido.
Corolla purpurea, calyce duplò longior.
Stamina corollae longitudine. *Stigma* bifidum, villosum, exsertum.
*Habitat* copiosè in *Cheuchin* pratis et humidis.
*Floret* Martio, et Aprili.
*Vernacule Socconcha.*
*Explic. Icon.* 1 Stamina.

## *SALVIA biflora.* Icon. XXXVIII. *Fig. a.*

6. S. foliis cordatis serratis tomentosis, spicis erectis, floribus secundis binis.
*Salvia* ¿(*tubiflora*) foliis cordatis crenatis subpilosis, calycibus trifidis, corollis longissimis tubulosis, staminibus exsertis. Smith *fascic. 2. p. 26. Ic. 26?*
Planta suffruticosa, villosissima.
Radix ramosa.
Caulis bipedalis, erectus, ramosus, obtusè tetragonus, striatus.
Rami patentes, consimiles.
Folia petiolata, cordata, profundè serrata, patentia; serraturis cum brevi acumine, supra pubescentia, subtus venosissima.
Spicae terminales, erectae, bipalmares.
Flores oppositi, solitarii, secundi, breviter pedunculati, *bracteis* ovato-lanceolatis, acutissimis, nervosis, deciduis suffulti.
Calyx tubulosus, parum ventricosus, trifidus, extus villosus, 12nervis, intus scaber.
Corolla coccinea, tubulosa, extus hirsuta, calyce triplò longior, bilabiata: *labio superiori* productiore, integerrimo, acuto; *inferiori* trifido: *laciniâ mediâ* concavâ; *lateralibus* parvis.
Stamina *Stylus*que coccineus, exsertus. *Stigma* bifidum.
*Habitat* in montibus arenosis *Huaura* in Provincia *Chancay.*
*Floret* Septembri, et Novembri.
*Explic. Icon.* 1 Stamina.

## *SALVIA acuminata.* Icon. XXXVII. *Fig. b.*

7. S. foliis cordatis serratis acuminatis, spicis terminalibus, floribus verticillatis, corollâ calyce duplò longiori.

Planta perennis, hirsuta, viscosa.
Caulis orgyalis, erectus, ramosus, tetragonus, sulcatus.
Rami consimiles, brachiati, assurgentes.
Folia opposita, longè petiolata, ampla, patentia, acuminata, subtus venosissima, rugosa, serrata; serraturis acuminatis.
Spicae terminales, longae, erectae.
Flores verticillati, pedunculati.
Pedunculi inaequales.
Verticilli sex-decemflori.
Bracteae oblongo-obovatae, acuminatae, oppositae, incarnatae, longitudine calycis, caducae.
Calyx tubulosus, nervosus, bilabiatus; *labio superiori* integro, acuto; *inferiori* bifido, acuto.
Corolla calyce duplò longior, incarnata.
Stamina longitudine corollae. *Stylus* exsertus.
*Habitat* in praeruptis *Pillao* et *Cantae*.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Stamina.

### *SALVIA nodosa.* Icon. XLI. *Fig. a.*

8. S. foliis cordatis superioribus ovatis deltoidibusque serratis, pedunculis axillaribus nodosis, galeâ hirsutâ.

*Salvia* (*formosa*) L'heritier *fasc. 3. p. 41. tab. 21.*

Planta frutescens, suborgyalis, fragrans.
Caulis erectus, ramosus, infernè nodosus, teres, subcinereus, rimosus.
Rami patentes, brachiati, tetragoni, quadrisulcati, articulationibus nodosi, rufescentes, viscosi.
Folia longè petiolata, approximata, deflexa, acuta, serrata, in hortis obtusiora et serrato-crenata; venosissima, viscoso-resinosa, subtus reticulata; *inferiora* cordata; *superiora* ovata deltoideaque.
Petioli foliis ferè dimidio breviores, supernè canaliculati.
Flores axillares, 3-7, subverticillati, breviter pedunculati.
Pedunculi inaequales, apice nodosi, uniflori, patuli, in fructu cernui.
Bracteae lineares, parvae, concavae, reflexae, deciduae; *duae exteriores* majores, lanceolatae.
Calyx viscoso-resinosus, 1 2nervis, basi angustatus, striatus, internè nitidus, laevis, bilabiatus: *labio superiori* ovato, acuminato; *inferiori* bifido; *laciniis* ovatis, acuminatis.
Corolla coccinea, calyce duplò longior. *Tubus* compressus, basi albus. *Faux* biplicata. *Limbus* bilabiatus: *labio superiori* recto, leviter emarginato, galeato, pubescenti, marginibus involutis, stamina stylumque amplexantibus: *labio inferiori* trifido; *laciniis lateralibus* deflexis, pubescentibus; *intermediâ* latiori, emarginatâ.
Antherae lineares, uniloculares, incumbentes, margine coccineae. *Rudimenta* Filamentorum *duo*, brevissima, alba, coarctationi tubi inserta.
Stylus utrinque hirsuto-plumosus, apice coccineus. *Stigma* glabrum, bifidum; alterâ laciniâ longiori.
Semina quatuor, oblonga, compresso-trigona, corpori glanduloso quadridentato insidentia.
*Habitat* in arenosis, argillaceis petrosisque *Huanuci*.
*Floret* per totum ferè annum, praesertim Majo et Junio.
*Vernacule* Socconcha.
*Vires et usus*: Incolae ad dentium dolores sedandos folia mandunt. Decoctum tepidum in nervorum laxitate mirificè prodest.
*Obs.* Triviali nomini *formosae* nomen *nodosae* subrogavimus, quoniam illud pluribus Speciebus quadrat, hoc nulli praeter nostram.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum.

### *SALVIA excisa.* Icon. XXXVI. *Fig. a.*

9. S. foliis cordatis obtusis basi inaequalibus serratis, spicis nutantibus, floribus oppositis binis verticillatisque.

Planta bipedalis, herbacea, viscosa, hirsuta. *Villi* caulis et calycum inaequales; *glandulâ* terminati.
Caulis erectus, infernè ramosus, obtusè tetragonus.
Rami virgati, tetragoni.
Folia petiolata, cordata, obtusa, serrata; serraturis obtusis, cum brevi acumine, rugosa, supra aspera, subtus hirsuta, venosissima, basi inaequaliter excisa; *nonnulla* basi aequalia.
Spicae terminales, longissimae, apice cernuae.
Flores breviter pedunculati, secundi, saepius bini, oppositi; aliquando 4-5-6 in verticillos, bracteis duabus suffultos.
Bracteae lanceolatae, concavae, coloratae, deciduae.
Calyces 1 2striati: *labio inferiori* bifido: *superiori* integro; laciniis acutis.
Corolla calyce triplò longior, coccinea, extus hirsuta: *labium inferius* brevius, trifidum; *laciniâ intermediâ* concavâ.
Stamina exserta.
Stylus longitudine staminum.
*Habitat* in *Peruviae* montibus arenosis, vulgò *Lomas*, in *Camanae* Provincia ad *Atiquipa* oppidum.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Pars corollae cum staminibus. 3 Pistillum.

### *SALVIA racemosa.*

10. S. foliis cordatis acutis sublanceolatis serratis, racemis terminalibus compositis, bracteis ovatis acuminatis.

Planta suffruticosa, hirsuta.
Caulis erectus, ramosus, infernè nudus, subteres.
Rami brachiati, tetragoni.
Folia longè petiolata, cordata, acuta, sublanceolata, serrata, saepius colore purpureo, livido maculata.
Racemi terminales, plurimis spicis compositi.
Flores verticillati, breviter pedunculati, ante explicatio-

nem obtecti *bracteis* ovatis, acuminatis, coloratis, caducis.

Corolla obscurè caerulea.

*Habitat* in versuris et ruderatis *Huanuci*.

*Floret* Decembri, Januario et Februario.

*SALVIA rhombifolia*. Icon. XXXVI. *Fig. b.*

11. S. foliis rhombeis cordatisque serratis, spicis terminalibus ternis, verticillis 4-8floris.

Planta herbacea, hirsuta. *Villi* microscopio visi articulati.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis pedalis, erectus.

Rami brachiati, livido-purpurei.

Folia *inferiora* rhombea, petiolata; *superiora* cordata, breviter petiolata; *omnia* obtusè serrata, venosa, utrinque hirsuta.

Spicae terminales; *ramorum* ternae, erectae, foliosae, breves; *intermediâ* longiori: *caulium* solitariae, aphyllae, ceteris longiores.

Flores breviter pedicellati, verticillati.

Verticilli approximati, 4-6flori, rariùs octoflori.

Bracteae duae, oppositae, lanceolatae, deciduae.

Calyces subviolacei, viscosi; *labio superiori* longiori, integro; *inferiori* bifido, acuto.

Corolla violacea, calyce triplò longior, extus hirsuta, fauce plicata.

Semina triquetra, venoso-reticulata.

*Habitat* in *Peruviae* collibus arenosis (*Lomas* de *Atiquipa* et *Pongo* dictis) in *Camanae* Provincia, et etiam copiosè in altis *Chancay* venit.

*Floret* Junio, Julio et Augusto.

*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina. 3 Pistillum. 4 Semina.

*SALVIA plumosa*. Icon. XXXVII. *Fig. a.*

12. S. foliis subcordatis acutis crenatis, pedunculis 4-5 axillaribus unifloris, stylo plumoso.

Planta frutescens, subtomentosa; tomento ferrugineo.

Caulis orgyalis, erectus, ramosus.

Rami *teneri* lanuginosi, tetragoni, brachiati.

Folia petiolata, subcordata, acuta, crenata, venosissima, rugosa, subtus leviter lanuginosa.

Flores axillares, verticillati, pedunculati.

Pedunculi 3-4, frequentiùs 5, teretes, uniflori, petiolis longiores, bracteolis totidem subulatis, aliquando ovatis suffulti.

Calyx bifidus, nervosus, tubulosus, intus scaber.

Corolla purpurea, extus hirsuta, calyce duplò longior: *labiis* aequalibus; *superiori* emarginato; *inferiori* trifido.

Stylus hirsuto-plumosus, purpurascens.

*Habitat* in *Tarmae* Provinciae praeruptis, imis locis, ad *Huassa-huassi* vicum.

*Floret* Octobri, et Novembri.

*SALVIA integrifolia*. Icon. XXXV. *Fig. b.*

13. S. foliis ovatis integerrimis aveniis subrepandis, spicis brevibus, corollis longis, staminibus exsertis.

Planta fruticosa, bipedalis, glabra.

Caulis erectus, ramosissimus, teres, cinereus, nudus.

Rami *teneri* tetragoni, viscoso-resinosi, nitidiusculi, subpurpurei, foliosi.

Folia petiolata, erecta, ovata, obtusa acutaque, integerrima, avenia, viscoso-resinosa.

Spicae terminales, breves, solitariae.

Flores verticillati, breviter pedunculati.

Verticilli quadri-sexflori.

Bracteae lanceolatae, acutae.

Calyx tubulosus, viridis, 12nervis, internè asper; *labio superiori* integerrimo; *inferiori* bifido.

Corolla calyce triplò longior, croceo-lutea, tubulosa, angusta, extus villosa, *villis* articulatis: *galea* emarginata: *labium inferius* leviter trifidum: *laciniis lateralibus* subrotundis; *intermediâ* ovatâ, acutâ, integerrimâ.

Stamina exserta. *Antherae* lineares, uniloculares, incumbentes.

Stylus glaber, staminibus longior.

Semina quatuor, trigona, ex fulvo et albo colore variegata, nitida, corpori glanduloso quadridentato insidentia.

*Habitat* in *Peruvia* ad *Caxatambo* Provinciam juxta aquas thermales *Cheuchin*, et inter rupes.

*Floret* Junio, et Julio.

*Vernacule Socconcha.*

*Vires et usus.* Decoctum contra Pleuritidem et Haemopthisim specificum est.

*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina. 3 Pistillum.

*SALVIA oppositiflora*. Icon. XLIII. *Fig. a.*

14. S. foliis ovatis crenatis rugosis, spicis terminalibus, floribus oppositis.

Planta suffruticosa, gratissimo odore praedita.

Caulis bipedalis, erectus, ramosus.

Rami tetragoni, brachiati.

Folia petiolata, ovata, obtusa, crenata, rugosa.

Spicae terminales.

Flores oppositi, solitarii, pedunculati.

Corolla coccinea, extus pubescens, calyce quadruplò longior.

*Habitat* in locis altis, aridis et ventosis *Tarmae* oppidi.

*Floret* Majo, et Junio.

*Vernacule Chenchelcoma.*

*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina. 3 Pistillum cum glandula. 4 Semina.

*SALVIA violacea*. Icon. XLIII. *Fig. b.*

15. S. foliis ovatis crenatis, floribus spicatis, verticillis sexfloris, labio corollae dependente.

Planta bipedalis, herbacea, hirsuta, annua.

Radix fasciculata, fibrosa.

Caulis erectus, ramosus, tetragonus.

Rami consimiles.
Folia ovata, crenata, rugosa, obtusa.
Spicae terminales, breves, erectae.
Flores verticillati, seni, breviter pedicellati, *bracteis* oppositis, ovatis, concavis stipati.
Corolla caeruleo-violacea, calyce triplò longior; *labio inferiori* lato; *galeâ* longiori, dependente.
*Habitat* in *Tarmae* Provinciae praeruptis calidis.
*Floret* Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina. 3 Pistillum cum glandula. 4 Semina.

### *SALVIA mitis.*

16. S. foliis ovatis acutis serratis tomentosis, spicis terminalibus, intermediâ longiori aphyllâ, verticillis multifloris.
Planta suffruticosa, bipedalis.
Caulis erectus, ramosus, brachiatus, tetragonus, sulcatus.
Rami consimiles, leviter pubescentes, mitissimi.
Folia petiolata, ovata, acuta, serrata, rugosa, venosissima, tomentosa, subtus incana.
Spicae terminales; *intermediâ* longiori, aphyllâ.
Flores verticillati, secundi, pedicellati.
Verticilli sex-duodecimflori.
Bracteae oppositae, ovales, acuminatae, pubescentes, caducae.
Calyces bilabiati, 12nerves, pubescentes, subcampanulati, supernè lividi: *labio superiori* integro, acuto, breviori, parum incurvo: *inferiori* bifido, acuto.
Corolla albo-caerulea, calyce paulò longior, extus pubescens.
Stamina longitudine corollae.
Stylus supernè villosus. *Stigmata* exserta.
Semina trigona, venosa, fulva.
*Habitat* in praeruptis calidis *Cantae* Provinciae ad *Obrajillo* vicum.
*Floret* Januario, Februario et Martio.

### *SALVIA procumbens.* Icon. XXXIX. *Fig. a.*

17. S. foliis ovatis elliptico-lanceolatisque serratis, caule ramosissimo nodoso radicante, spicis gracilibus assurgentibus.
Planta perennis, radicans, foetida.
Caulis infernè ramosissimus, procumbens, tetragonus, striatus, supra articulationes geniculatus, radicans.
Rami leviter pubescentes, subpurpurei, ascendentes, divisi, cauli similes, graciles.
Folia petiolata, elliptico-lanceolata ovataque, acuta, supernè serrata, venosissima, glabra, reflexa.
Spicae terminales, assurgentes, longae, graciles; *ramulorum* solitariae; *caulis* ternae; *intermedia* longissima.
Verticilli remoti, multiflori, bracteolis duabus oppositis, ovatis, acutis sustentati.
Flores breviter pedicellati, minimi.
Calyx pubescens, viscosus; *villis* glanduliferis, bilabiatus: *labium superius* integrum, subrotundum: *inferius* bipartitum, acutum.
Corolla calyce duplò longior. *Tubus* albus: *Labium inferius* caeruleum, trifidum: *laciniâ* mediâ productiori, emarginatâ: *Labium superius* album, subrotundum, integerrimum.
Semina subrotunda; duo aut tria saepe abortiunt.
*Habitat* copiosè in versuris et ruderatis *Limae*, *Chancay* et *Huanuci*.
*Floret* per totum annum.
*Vulgo*: *Yerba del Gallinazo* et *Moradilla*.
*Vires et Usus*: Peruviani decocto et infusione ad obstructiones et icterum utuntur.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina, 3 Pistillum.

### *SALVIA punctata.* Icon. XXXIX. *Fig. b.*

18. S. foliis ovato-oblongis serratis, spicis multifloris, calyce punctato, labio superiori tricuspidato.
Planta suffruticosa, foetida (vulpino odore) ferruginea, supernè hirsuta: *villi* glanduliferi.
Caulis tripedalis, erectus, ramosus, infernè nudus, obsoletè tetragonus, fragilis.
Rami brachiati, geniculati, erecti, pubescentes, purpurascentes.
Folia petiolata, ovato-oblonga, è medio ad apicem serrata, patentia, rugosa, venosissima; nonnulla ex junioribus integerrima, subtus magis pubescentia, supra viscosa.
Petioli foliis breviores.
Spicae longae, terminales, erectae, solitariae, hirsutae, viscosae.
Flores breviter pedicellati, verticillati.
Verticilli sex-duodecimflori.
Bracteae oppositae, ovatae, acuminatae, deciduae.
Calyx violaceo-caeruleus, campanulatus, hirsutus, viscosus, punctis glandulosis adspersus, bilabiatus; *labium inferius* bifidum, acutum; *superius* tricuspidatum, vix longius.
Corolla calyce triplò longior, extus pubescens, alba, saepe lutescens et violaceo-alba.
Stylus plumosus.
*Habitat* in collibus altis *Huanuci*.
*Floret* Majo, et Junio.
*Vernacule Añascachu*, id est *Yerba Zorrina*, seu Herba vulpina.
*Explic. Icon.* 1 Stamina.

### *SALVIA galeata.* Icon. XLII. *Fig. a.*

19. S. foliis ovalibus serratis, calycis labio superiori galeato, corollae labio superiori convoluto.
Planta fruticosa.
Caulis tripedalis, ramosissimus, brachiatus; infernè subteres, nudus.
Rami brachiati, tetragoni, post exsiccationem ferruginei.
Folia subsessilia, deflexa, ovalia ovataque, serrata, venosissima, rugosa, aspera, leviter pubescentia.
Spicae terminales, ternae, erectae: *intermediâ* longiori.

Flores verticillati, breviter pedicellati.
Verticilli 6-12flori, patentes; bracteolis duabus ovatis, oppositis, caducis stipati.
Calyx ringens, supernè dilatatus, ventricosus: *labio inferiori* concavo, bifido, inflexo; *superiori* concavo, galeato, majori.
Corolla albo-violacea, calyce duplò longior: *labio inferiori* trifido; *laciniis* ovatis: *superiori* angusto, infernè convoluto, supernè patulo, stamina stylumque involvente.
*Habitat* in circuitu *Muña* locis aridis.
*Floret* mensibus Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Stamina.

### *SALVIA revoluta.* Icon. XLI. *Fig. b.*

20. S. foliis lineari-lanceolatis crenatis, floribus spicatis, verticillis secundis.
Planta fruticosa, tomentosa.
Caulis erectus, subtripedalis, ramosissimus, teres, fuscus, glaber, infernè scaber, rimosus.
Rami virgati, oppositi, densi, obtusè tetragoni, tomentosi.
Folia breviter petiolata, lineari-lanceolata, crenata, rugosa, marginibus revolutis, venosissima; venis supernè profundis.
Spicae terminales, solitariae, subpalmares, erectae.
Flores verticillati, breviter pedunculati, secundi.
Verticilli quadri-sexflori.
Bracteae ovato-lanceolatae, caducae.
Calyx tubulosus, *nervosus, bilabiatus*; *labio superiori* integro, ovato, concavo; *inferiori* bifido, acuto: extus densè tomentosus, aliquando subviolaceus, intus asper.
Corolla calyce duplò longior, albo-violacea, extus tomentosa: *labio inferiori* trifido; *laciniis* lateralibus, brevibus, revolutis; *intermediâ* majori, emarginatâ.
Stylus supernè hirsutus.
*Habitat* in praeruptis *Cantae.*
*Floret* Januario, et Februario.
*Obs.* Sudante jam praelo prodiit in lucem Clar. Ortegae *Novar. aut rarior. Plant. Decas quinta*, et *sexta*, in quarum limine *Salviae virgatae* nomini quod cuidam Speciei in prima Decade imposuerat, *S. linearis* nomen subrogandum monet, ne sua cum Clar. Jacquini *Salviâ virgatâ*, confunderetur. Quamobrem nos quoque hanc *Salviam*, quam in Icone *S. linearem* appellaveramus, *S. revolutam* vocare necessarium duximus.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Stamina.

## COLUMELLIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 3. Icon. I.

### *COLUMELLIA oblonga.* Icon. VIII. *Fig. a.*

1. C. foliis oblongis supernè serratis, floribus corymbosis.
Arbor quadriorgyalis.
Truncus erectus, ramosissimus.
Rami brachiati, teretes, cortice squamato cinereo vestiti, infernè nudi.
Folia conferta, petiolata, oblonga, supernè serrata, supra glabra, nitida, subtus pubescentia, albicantia.
Flores terminales, corymbosi.
Pedunculi trifidi: *Pedicelli* uniflori, bifolii: *foliola* opposita, lanceolata, decidua.
Corolla lutea: *laciniis* concavis.
*Habitat* in silvis *Pillao.*
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Vires et usus*: *Folia* amarissima stomachicâ virtute pollent. Ad febres intermittentes depellendas foliorum decocto, aut infuso, aut eisdem in pulverem redactis Indi utuntur. Ex Ligno valde duro manubria et alia utensilia faciunt.
*Explic. Icon.* 1 Corolla anticè cum staminibus visa. 2 Pistillum. 3 Capsula calyce coronata. 4 Eadem naturaliter dehiscens. 5 Eadem clausa, á valvulis exterioribus et calyce libera. 6 Valvulae interiores anticè visae. 7 Semina. 8 Receptaculum.

### *COLUMELLIA obovata.* Icon. XII. *Fig. b.*

2. C. foliis obovatis serrato-dentatis integrisque, pedunculis uni-trifloris.
Frutex octopedalis.
Truncus ramosissimus, erectus, teres.
Rami brachiati.
Folia confertissima, sessilia, obovata, subtus incana, supra concava, nitida, glauca, reliqua integerrima: *majora* serrato-dentata.
Flores terminales, breviter pedicellati, uni-triflorique. *Foliola duo* sub singulis pedunculis trifloris, opposita, lineari-subulata, decidua; *duo altera* sub calyce.
Corolla lutea: *laciniis* patentibus.
*Habitat* copiosè in collibus aridis *Tarmae.*
*Floret* Julio, Augusto et Septembri.
*Vernacule Ulux.*
*Vires et usus*: Sapore amarissimo universa planta gaudet. Indi infuso decoctoque foliorum ad febres intermittentes profligandas, stomachumque roborandum non sine fructu utuntur. Ligna ad cibos coquendos in culinis comburunt.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula cum calyce. 6 Capsula dehiscens. 7 Semina. 8 Folia anticè et posticè visa.

## MARGYRICARPUS. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 7. Icon. XXXIII.

### *MARGYRICARPUS setosus.* Icon. VIII. *Fig. d.*

1. M. foliis impari pinnatis, foliolis linearibus, floribus axillaribus sessilibus.
Planta suffruticosa, procumbens.
Caulis pedalis, ramosissimus, teres, obscuro-fuscus, intortus.
Rami consimiles.
Folia imbricata, alterna, petiolata, impari-pinnata: *foliola*

linearia, setis 1-3deciduis terminata, supra nitida, subtus albicantia, marginibus reflexis: *intima* minora.

PETIOLI vaginantes, membranaceo-alati, ciliati, paleacei.

FLORES axillares, sessiles.

BRACTEOLAE *duae* sub singulo flore, oppositae, ovatae, acutae, ciliatae, paleaceae, persistentes.

DRUPA alba, parum carnosa, margaritaeformis.

*HABITAT* in collibus aridis et frigidis locis Provinciarum *Tarmae*, *Xauxae*, *Huamalies*, *Huarocherí*, *Conchucos*, arenosisque *Regni Chilensis*.

*FLORET* Junio, Julio et Augusto.

*VULGO Yerba de la Perlilla*, ob fructuum similitudinem cum margaritis.

*VIRES ET USUS*: Incolae ad sanguinis aestum coercendum decoctum, et infusionem adhibent. Pueri autem fructuum succum dulcem, et gratum avidè exsugunt.

*Explic. Icon.* 1 Bracteolae. 2 Flos. 3 Calycis laciniae. 4 Stamina. 5 Pistillum cum calyce. 6 Drupa. 7 Nux. 8 Nucleus. 9 Folium auctum.

## GUNNERA. LINN. *Gen. pl. p.* 607.

### CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Amentum* thyrsoideum, compositum plurimis partialibus, confertis, cylindricis; *spathis* lanceolatis, marcescentibus suffultis; *flosculis* sessilibus, nudis tectis.

*Perianthium*: *Margo* superus, bidentatus, marcescens: *denticulis* acutis.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* duo, filiformia, brevia, inter perianthium et germen receptaculo inserta, denticulis alternantia. *Antherae* ovatae, tetragonae, didymae.

PIST. *Germen* inferum, subrotundum. *Stylus* bipartitus, brevis. *Stigmata* acuta.

PER. *Drupa* subrotunda, parum carnosa, è crustâ perianthinâ formata, coronata.

SEM. unicum, globosum.

*Obs.* Gunnerae Genus ex Gynandria Classe, cui Linnaeus illud inseruit, ad Diandriam retulimus ob staminum situm in receptaculo, quo accedit universa fructificatio et habitus ab Orchideis sanè distinctus.

### *GUNNERA* SCABRA. ICON. XLIV. *Fig. a.*

1. G. foliis lobatis, petiolis granulosis, thyrsis magnis.

*PANKE* Anapodophylli folio. FEWILL. *Peruv. tom. 2. p. 741. planch. 30.*

*PANKE* tinctoria. MOLINA *Comp. Hist. nat. Regn. Chil. t. 1. p. 150.*

PLANTA perennis, succosa, scabra: dum tenera mucilagine crystallino abundat.

RADIX maxima, ferè ulnaris, femoris crassitie, simplex, bitrifida, fibrillosa, extus fusca, intus alba, solida.

SPATHA radicalis, magna, multipartita: *laciniis* ramoso-multifidis herbam teneram involvens, marcescens.

FOLIA radicalia, amplissima, 5-11loba, nervosa, venosissima, scabra, utrinque rugosa, supra hispida: *lobis* laciniatis, dentatis.

PETIOLI longi, teretes, purpurei, granulis elevatis, acumine uncinato terminatis.

SCAPUS 2-6pedalis, erectus, teres, granulosus, purpureus.

THYRSUS longus, compositus plurimis amentis confertis, subverticillatis, *spathis* lanceolato-subulatis suffultis.

ANTHERAE magnae, purpureae.

DRUPAE croceae, milii magnitudine.

*HABITAT* in stagnatis, scaturientibus, paludibus et uliginosis *Conceptionis Chile*, et in *Muña* vico Regni Peruviani.

*FLORET* Septembri, et Octobri.

*VERNACULE Panke* et *Pangue*. Petioli teneri *Nalcas*; adulti verò *Raguayes* ab Incolis nuncupantur.

*VIRES ET USUS*: Incolae petiolos teneros à cortice mundatos, jucundè comedunt. *Mucilago* plantae tenerae dorso et renibus applicitus, febrium ardores compescit. *Radicis* decoctum interius propinatum diarrhoeas et haemorrhagias sistit. Coriarii ad pelles concinnandas loco *Rhuis coriariae* radice utuntur, et tinctores hac ipsa cocta cum terra nigra, *Robo* nuncupata, illas nigro colore inficiunt.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Idem auctus. 3 Drupa. 4 Semen.

## PEPEROMIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 8.

### ICON II.

### *PEPEROMIA SCUTELLAEFOLIA.* ICON. XLIV. *Fig. b.*

1. P. radice tuberosa, foliis peltatis scutellaeformibus nervosis, scapo erecto.

RADIX tuberosa, globosa, undique fibrillosa.

SCAPUS filiformis, supernè incrassatus, erectus, sesquipalmaris.

FOLIA radicalia, longè petiolata, peltata, ovata, concava, in scutellae formam, integerrima, 5-7nervia, glabra, supra punctata, subtus purpurascentia.

PETIOLI teretes, purpurascentes.

FLOSCULI spicati, distantes, squamâ ovatâ, concavâ, carnosâ stipati.

*HABITAT* in *Peruviae* collibus ad *Atiquipa*, ubi Joannes Tafalla descripsit et delineavit.

*FLORET* Junio, et Julio.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Squama. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Drupa.

### *HABITUS.*

Omnes hujus Generis Species herbaceae, carnosae, plus minusve fragrantes. *Caules* aut *Scapi* enodes, erecti, scandentes, aut repentes. *Folia* integerrima. *Spadices* axillares, vel terminales, ad basim foliorum aut in scapo; solitarii, vel gemini, aggregati aut paniculati. *Color* ruber in omnibus ferè speciebus frequens; post exsiccationem roseo colore papyrum tingunt.

*Obs.* In Peperomiae Charactere Generico Prodromi Florae Per. et Chil. squamam nullam calycinam, nisi prominentiam sub singulis flosculis descripsimus. Nunc addimus squamam minimam, magis minusve carnosam.

*PEPEROMIA umbilicata.* Icon. XLV. *Fig. b.*

2. P. *radice* tuberosa, foliis peltatis orbiculatis aveniis umbilicatis, scapo laxo.

Radix tuberosa, globosa, lutescens, fibrosissima, subtus saepe nuda.

Scapus filiformis, gracilis, ferè palmaris, spicatus.

Folia radicalia, longè petiolata, peltata, orbiculata ovataque, umbilicata, integerrima, subtus albida, nitida, glaberrima, avenia.

Petioli teretes.

Flosculi distantes, squamis ovatis, minimis sustentati.

*Habitat* in collibus *Limae*, *Chancay* et *Huanuci*, supra saxa.

*Floret* Junio, Julio et Augusto.

*Explic. Icon.* 1 Flosculus auctus.

*PEPEROMIA secunda.* Icon. XLV. *Fig. a.*

3. P. foliis cordato-subrotundis, floribus paniculatis secundis.

Planta pedalis, villosa.

Radix fibrillosa.

Caulis teres, erectus, violaceus, simplex, brevis, infernè foliosus, *supernè unifolius.*

Folia sparsa, prope radicem conferta, longè petiolata, cordata, patentia, leviter undulata, supra nitida, subtus venosa, albicantia.

Petioli teretes.

Racemus terminalis, paniculatus, albus, compositus spicis alternis, reflexis, decompositis plurimis spiculis alternantibus, secundis, filiformibus.

Bracteola ovata, acuta, parva, inflexa sub singulis spicis spiculisque.

Flosculi distantes, squamis minimis, concavis sustentati.

Stigma punctis duobus notatum.

Semina fulva, nitida.

*Habitat* in montibus *Pillao* ad *Chacahuassi* locis umbrosis.

*Floret* mensibus Octobri, et Novembri.

*Obs.* Habitus Peperom. crystallinae, foliiflorae, umbilicatae, secundae, et insertio flosculorum, à reliquis speciebus differunt.

*Explic. Icon.* 1 Flosculus auctus.

*PEPEROMIA foliiflora.* Icon. XLV. *Fig. c.*

4. P. foliis umbellatis cordatis basi floriferis, spicis aggregatis flexuosis.

Planta semipedalis.

Radix fibrosa.

Caulis erectus, simplex, apice foliosus, teres, lineis longitudinalibus, purpureis maculatus.

Folia 8-10, inaequalia, in umbellam disposita, petiolata, integerrima, repanda, nervosa, venosa.

Spicae è basi foliorum in radium prodeuntes, flexuosae, gradatim minores, brevissimae, hyalinae.

Flosculi distantes; squamis globosis suffulti.

Drupa ovalis, pedicellata, stylo acuminata.

*Habitat* in *Chinchao* montibus nemorosis supra saxa et arbores.

*Floret* mensibus Julio, et Augusto.

*Explic. Icon.* 1 Spica. 2 Flos. 3 Drupa. Omnia haec aucta.

*PEPEROMIA crystallina.*

5. P. foliis oblongis subtus punctato-excavatis, spicis oppositifoliis compressis.

Planta glabra, fragilis, odoratissima, (odore *Aniso* simillimo) pedalis.

Caulis dichotomus, tetragonus, hyalinus, striis rubris maculatus, articulationibus ciliatus.

Folia hinc oblonga, inde oblongo-ovata, sessilia, integerrima, subtus punctis excavata, supra punctis convexis, acuminatis notata: unicum inter singulam dichotomiam.

Spicae solitariae, oppositifoliae, filiformes, decemflorae, versus folium declinatae, ejusque longitudine.

Flosculi distantes, squamis suffulti.

*Habitat* affatim in collibus *Limae*, in locis petrosis.

*Floret* ab Aprili ad Septembrem.

*Vires et usus*: Tota planta gaudet odore fragrantissimo et suavissimo, *Aniso* valde simili, ideoque ad flatus expellendos summopere infusio inservit.

*PEPEROMIA inaequalifolia.* Icon. XLVI. *Fig. a.*

6. P. foliis verticillatis obovatis, floralibus majoribus, spicis terminalibus inaequalibus subquaternis.

Planta subpedalis.

Radix fibrosissima, albicans.

Caulis erectus, teres, dichotomus; dum procumbit, radicatur.

Folia verticillata, 4-5-6, reflexa, subsessilia, subtus convexa, subemarginata integerrimaque; *caulina* terminalibus carnosiora; *floralia* inaequalia, caulinis triplò longiora.

Spicae terminales, longae, subulatae, 2-5, inaequales, erectae; *exteriores* breviores.

*Habitat* abundè in *Limae*, *Huanuci*, *Tarmae* et *Cantae* locis saxosis, et supra arbores.

*Floret* per totum ferè annum.

*Vernacule* in Lima *Congona* et *Congonita cimarrona*, in Huanuco *Siempreviva* vulgò nominant.

*Vires et usus*: Succus hujus plantae doloribus auris et hemicraniae sedandae valde opitulatur. Infusio calidè sumpta flatus dissipat, ventriculum roborat, et digestio-

nem juvat. Quibusdam etiam condimentis, saporis gratia, non infrequenter admiscetur.

*Obs.* Ob odorem fragrantissimum, quo gaudet, Peruvianae foeminae in diversarum florum *Mixtura* (ita enim appellant) eandem adhibere solent.

*PEPEROMIA* RHOMBEA. ICON. XLVI. *Fig. b.*

7. P. foliis quaternis oblongo-rhombeis, spicis terminalibus solitariis.

PLANTA bipalmaris.

RADIX fasciculata, fibrosa.

CAULES nonnulli, gemini, furcati, teretes, erecti, geniculati, ad articulationes nitidi, aliquando procumbentes, radicantes.

FOLIA quaterna, breviter petiolata, patentia, subtus convexa, supra plana, integerrima, purpurascentia, avenia.

SPICAE erectae, cylindricae, purpureae, solitariae, flosculis undique tectae.

FLOSCULI squamâ peltatâ suffulti.

*HABITAT* in silvis *Pillao* ad *Chacahuassi* supra arbores et saxa.

*FLORET* Octobri, et Novembri.

*Obs.* Folia post exsiccationem papyrum tingunt.

*PEPEROMIA* FILIFORMIS. ICON. XLVII. *Fig. b.*

8. P. foliis verticillatis subrotundo-obovatis, spicis terminalibus oblongis brevibus.

PLANTA scandens.

CAULIS filiformis, ramosus, repens, purpureus.

RAMI oppositi aut solitarii, breves.

FOLIA quaterna, saepe terna quinaque, subrotundo-obovata, subtus convexa, supra plana, integerrima, inaequalia, breviter petiolata.

SPICAE terminales, solitariae, oblongae, breves.

FLOSCULI squamâ peltatâ, crassâ sustentati.

*HABITAT* in nemoribus *Chinchao* supra saxa et arbores.

*FLORET* Julio, et Augusto.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Squama. 3 Stamen. 4 Drupa. 5 Semen.

*PEPEROMIA* CONCAVA. ICON. XLVI. *Fig. c.*

9. P. foliis oppositis verticillatisque ovalibus subtus convexis quinquenervibus, spicis solitariis terminalibus.

PLANTA bipalmaris.

RADIX fasciculata, fibrosa.

CAULES plures, erecti, furcati, teretes, lineis purpureis longitudinalibus.

FOLIA opposita aut quaterna, ovalia, integerrima, subtus convexa, supra concava, quinquenervia, nervis purpureis.

SPICAE cylindricae, palmares, purpureae, erectae.

FLOSCULI squamâ peltatâ, crassâ stipati.

*HABITAT* in nemoribus *Chinchao* et *Cuchero* supra saxa.

*FLORET* Julio, et Augusto.

*PEPEROMIA* TETRAGONA. ICON. XLVII. *Fig. a.*

10. P. foliis oblongis quinquenervibus acutis, spicis terminalibus geminis longissimis.

PLANTA pedalis.

RADIX fasciculata, fibrosa.

CAULIS infernè divisus, assurgens, tetragonus, radicans, dilutè purpureus, punctis notatus.

FOLIA opposita: alterum paulò brevius; petiolata, oblonga, quinquenervia, utrinque acuta, coriacea, marginibus reflexis.

SPICAE terminales, geminae, filiformes, ferè pedales, dependentes, inter spathas duas lanceolatas, acutas, carinatas, deciduas.

FLOSCULI squamâ peltatâ, crassâ sustentati.

*HABITAT* in nemoribus *Chinchao*.

*FLORET* Junio, et Julio.

*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama aucta. 3 Stamen. 4 Drupa. 5 Semen.

*PEPEROMIA* SEPTEMNERVIS. ICON. XLVII. *Fig. c.*

11. P. foliis lanceolatis septemnervibus coriaceis, spicis subulatis folio longioribus.

PLANTA pedalis.

RADIX fasciculata, fibrosa.

CAULES plurimi, erecti, nutantes, dichotomi, teretes, articulationibus purpurascentes, radicantes.

FOLIA opposita, rarius terna: alterum paulò brevius; petiolata, lanceolata, acuta, coriacea, septemnervia.

SPICAE *axillares* solitariae; *terminales* ternae aut solitariae, subulatae, curvatae.

FLOSCULI squamâ peltatâ, crassâ suffulti.

*HABITAT* in nemoribus *Pozuzo* supra saxa.

*FLORET* Augusto, Septembri et Octobri.

*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamen. 4 Drupa. 5 Semen.

*PEPEROMIA* PUBESCENS.

12. P. foliis obovatis trinervibus subtus pubescentibus; spicis ternis, intermediâ longissimâ.

PLANTA bipedalis.

CAULIS erectus, ramosus, teres, pubescens.

FOLIA opposita, obovata, trinervia, petiolata, integerrima, supra glabra, subtus pubescentia.

SPICAE axillares, ternae; *intermedia* longissima.

FLOSCULI squamâ peltatâ, carnosâ stipati.

*HABITAT* in umbrosis montibus *Huassahuassi* supra saxa.

*FLORET* Octobri, et Novembri.

*PEPEROMIA* ALATA. ICON. XLVIII. *Fig. b.*

13. P. foliis lanceolatis quinquenervibus, caule alato, spicis subulatis.

PLANTA pedalis.

Radix fasciculata, fibrosa.
Caules plures, erecti, divisi, flexuosi; ab uno latere à geniculo ad geniculum semiteretes; altero plani, alati, articulationibus purpureis.
Folia alterna, petiolata, lanceolata, quinquenervia, integerrima.
Spicae *axillares* solitariae; *terminales* geminae, subulatae, palmares, in flore erectae, in fructu curvatae.
Flosculi squamâ peltatâ, crassiusculâ sustentati.
*Habitat* in nemoribus *Pozuzo*, supra saxa.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama aucta. 3 Stamen. 4 Drupa. 5 Semen.

### *PEPEROMIA purpurea.* Icon. XLIX. *Fig. b.*

14. P. foliis ovatis acuminatis venosis, spicis laxis dependentibus.
Planta ferè pedalis.
Radix ramosa, fibrosa.
Caulis flexuosus, in summitate divisus, infernè nudus, purpureus, teres, erectus.
Rami patentes.
Folia alterna, petiolata, integerrima, subtus purpurea, supra venis purpureis notata.
Spicae axillares terminalesque, filiformes, purpureae, foliis triplò longiores, laxae, dependentes.
Flosculi squamâ peltatâ fulti.
*Habitat in montibus Chinchao* umbrosis, et saxosis locis.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Squama. 2 Stamina et Pistillum.

### *PEPEROMIA pilosa.* Icon. L. *Fig. a.*

15. P. foliis oblongo-lanceolatis acutis basi inaequalibus, spicis axillaribus solitariis.
Planta semipedalis.
Radix fasciculata.
Caulis vix divisus, flexuosus, erectus.
Folia alterna, petiolata, basi inaequalia, subcordata, acuta, subtus punctata, supra pilosa.
Spicae axillares, solitariae, filiformes, longitudine ferè foliorum, erectae.
*Habitat* in nemoribus *Pozuzo* locis umbrosis.
*Floret* Augusto, et Septembri.

### *PEPEROMIA trinervis.* Icon. L. *Fig. b.*

16. P. foliis ovalibus acutis trinervibus, spicis axillaribus solitariis; terminalibus binis erectis tenuibus.
Planta pedalis.
Radix ramosa, fibrosa.
Caulis teres, parum divisus, infernè radicans.
Folia alterna, petiolata, ovalia, utrinque acuta, parum venosa.
Spicae filiformes, foliis quadruplò longiores, erectae: *axillares* solitariae; *terminales* geminae.
*Habitat* in montibus *Chinchao*, in locis umbrosis.
*Floret* Julio, et Augusto.

### *PEPEROMIA obliqua.* Icon. LI. *Fig. c.*

17. P. foliis oblongo-obovatis obliquis nervosis, spicis furcatis filiformibus.
*Piper* (*acuminatum*) foliis lanceolato-ovatis, nervosis. Linn. *Sp. pl. p. 42.*
*Saururus* alius humilis, folio carnoso acuminato. Plumier. *Amer. p. 54. t. 71.*
Radix fibrosa.
Caulis erectus, teres, geniculatus, vix divisus.
Folia alterna, petiolata, oblongo-obovata, nervosa, carnosa, integerrima, glabra, obliqua, altero latere productiora.
Spicae axillares terminalesque, dichotomae, filiformes, erectae.
*Habitat* in nemoribus *Cuchero*, *Pozuzo* et *Pillao*.
*Floret* Julio, et Augusto.

### *PEPEROMIA acuminata.* Icon. LI. *Fig. a.*

18. P. foliis obovatis acuminatis, spicâ filiformi acutâ.
Radix fibrosa.
Caules plures, pedales, erecti, teretes, geniculati.
Folia alterna, petiolata, obovata, acuminata, integerrima, carnosa, plana.
Petioli breves, alati.
Spica terminalis, filiformis, acuta, erecta.
*Habitat* in nemoribus *Muña*, *Pillao* et *Macora*.
*Floret* à Majo ad Novembrem.

### *PEPEROMIA striata.* Icon. LII. *Fig. b.*

19. P. foliis oblongo-ovatis acutis utrinque pubescentibus, spicis compositis terminalibus.
Planta pedalis.
Radix fibrosa.
Caulis simplicissimus, striatus, erectus, teres, geniculatus, radicans.
Folia alterna, petiolata, utrinque pubescentia, venosa, pellucido-punctata, integerrima.
Petioli subtus striati, supra canaliculati, punctis purpureis notati.
Pedunculi punctis purpureis aspersi.
Spicae in racemum terminale, erectae, filiformes, longae.
*Habitat* in nemoribus *Cuchero* et *Chinchao*, locis umbrosis.
*Floret* Augusto, et Septembri.

### *PEPEROMIA scandens.* Icon. LI. *Fig. b.*

20. P. foliis cordato-subrotundis, caule scandenti repente, spicis axillaribus solitariis.

PLANTA scandens.
RADIX filiformis.
CAULIS ramosissimus, repens, filiformis, teres, geniculatus, flexuosus.
RAMI consimiles.
FOLIA alterna, petiolata, cordato-subrotunda, integerrima, acuminata, carnosa, avenia.
SPICAE axillares, solitariae, subulatae.
*HABITAT* in nemoribus *Chinchao*, *Cuchero*, *Pozuzo* et *Macora*.
*FLORET* à mense Augusto ad Novembrem.

*PEPEROMIA DEPENDENS.* ICON. XLVIII. *Fig. a.*

21. P. foliis cordatis 13nervibus dependentibus, spicis terminalibus subulatis.
PLANTA pedalis, inodora.
CAULIS ramosus, teres, purpurascens, radicans.
FOLIA alterna, longè petiolata, cordata, acuta, dependentia, utrinque glabra, subtus albida, supra nitida, tredecimnervia.
SPICAE terminales, solitariae, foliis terminalibus oppositae, subulatae, teretes.
*HABITAT* in locis umbrosis *Pozuzo*.
*FLORET* Septembri, et Octobri.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamen. 4 Drupa. 5 Semen.

*PEPEROMIA EMARGINATA.* ICON. XLIX. *Fig. a.*

22. P. foliis obovatis emarginatis aveniis, pedunculis furcatis bispicatis.
RADIX fibrosa.
CAULIS flexuosus, teres, repens.
FOLIA alterna, petiolata, avenia, versus basim carinata.
PEDUNCULI teretes, furcati.
SPICAE geminae, cylindricae, supernè sensim attenuatae.
STIGMA acuminatum.
DRUPA oblonga.
*HABITAT* in silvis *Pozuzo*, locis umbrosis supra saxa.
*FLORET* Septembri, et Octobri.
*Explic. Icon.* 1 Squama. 2 Stamina et Pistillum.

*PEPEROMIA VARIEGATA.* ICON. LII. *Fig. a.*

23. P. foliis cordato-ovatis peltatis, spicis geminis.
*PIPER* (*maculosum*) foliis peltatis ovatis. LINN. *Sp. pl. p. 42.* PLUMIER. *Amer. pag. 60. tab. 66.*
RADIX filiformis, fibrosa.
CAULIS teres, repens, punctis purpureis maculatus, geniculatus.
FOLIA cordato-ovata; alterna, integerrima, plana, glabra, nitida, subtus albida; supra per venas alba, glauca, marginibus revolutis, dependentia, longè petiolata, acuminata.



PETIOLI foliorum ferè longitudine, teretes, maculis purpureis variegati, arcuati.
SPICAE geminae, subulatae; alterâ breviori.
GERMEN ovatum, acuminatum.
*HABITAT* in montibus *Pillao* ad *Chacahuassi*, in locis umbrosis.
*FLORET* Septembri, et Octobri.

*PEPEROMIA MONOSTACHYA.*

24. P. foliis obovatis ovatisque, caule simplicissimo, spicâ unicâ terminali.
PLANTA bipalmaris.
CAULIS teres, glaber, radicans.
FOLIA alterna, petiolata, ovata obovato-oblongaque, enervia, supra viridia; subtus purpurea, *lineis quinque* obscurè purpureis, longitudinalibus; *duabus lateralibus* brevioribus.
SPICA cylindrica, erecta, terminalis, solitaria.
*HABITAT* in montibus *Chinchao*, supra arborum vetustarum truncos.
*FLORET* mense Augusto, et Septembri.

# TRIGYNIA.

## PIPER. LINN. *Gen. pl. p.* 26.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Spatha* lanceolata, caduca. *Spadix* amentiformis, cylindricus, flosculis totidem squamis, subcuneiformibus, concavis distinctis tectus.
*Perianthium* nullum, nisi squamam velis.
COR. nulla.
STAM. *Filamenta* duo, longitudine germinis, ad cujus latera opposita. *Antherae* subcordatae, didymae, biloculares, utrinque dehiscentes: loculis septo intermedio perpendiculari divisis.
PIST. *Germen* obovatum. *Stylus* unicus, brevis. *Stigmata* tria, patentia.
PER. *Drupa* obovata, unilocularis, monosperma.
SEM. *Nux* obovata, unilocularis. *Nucleus* subreniformis.
*Obs.* Stamina in quibusdam Speciebus quatuor, quinque aut sex. *Stylus* in nonnullis longus. *Stigmata* reflexa aut erecta.

### *HABITUS.*

*Frutices* aromatici; pauci ferè inodori. *Radix* ramosa, fibrillosa, in verticillos. *Caules* erecti, teretes, articulati, nodosi. *Rami* subdivisi, plus minusve flexuosi. *Gemmae* ex axillis spicarum. *Folia* alterna, petiolata, aspera aut laevia, glabra aut pubescentia, vel hispidula, venosa aut nervosa: *nervis* alternis, aliquando coëuntibus, basi saepius inaequalia, apice obliqua, acuminata, saepe acuta, integerrima, lente vitreâ visa pellucido-punctata. In nonnullis Speciebus utrinque punctis fuscis nota-

ta. *Petioli* subvaginantes, canaliculati. *Spathae* parvae, convolutae, caducae, lanceolatae, folia et spicas involventes. *Spicae* pedunculatae, oppositifoliae, solitariae, erectae aut dependentes, rectae aut recurvae, breves vel longissimae, cylindricae, aut subulatae; in *Pipere polystachyo* plurimae. *Flosculi* ferè anulares. *Squamae* cuneiformes, margine ciliato, aut denticulato aut integerrimo, glabro aut villoso coronatae. In *Pipere* unguiculato, subrotundae. In *Pipere ovali* ovatae, acutae. *Stylus* unicus. *Stigmata* tria, villosa, aut hispida, vel glabra, brevia vel longa. In *Pipere calloso Stigmata* duo.

### *PIPER callosum.* Icon. LIII. *Fig. a.*

1. P. foliis ovalibus acuminatis basi callis duobus, spicis brevibus subechinatis, stigmatibus duobus.

Frutex ulnaris, glaber.
Radix verticillata, ramosa, fibrosa.
Caules plures, parum ramosi, articulati, nodosi, leviter striati.
Rami subdivisi, supernè foliosi, dum procumbunt radicantes.
Folia petiolata, ovalia, obliquè acuminata, integerrima, patentia, plana, alternatim nervosa, supra nitida, utrinque laevia, glabra, ferè exsucca, basi callis duobus; altero altiori; microscopio visa pellucido-punctata.
Petioli canaliculati.
Spathae minimae, caducae.
Spicae oppositifoliae, solitariae, cylindricae, parvae, petiolis paulò longiores, in fructu stylis persistentibus, subechinatae.
Squama ovata, acuta sub singulis flosculis.
Stamina quatuor, singulum germen ambientia.
Stylus longus, persistens. *Stigmata* duo, patentia.
*Habitat* in nemoribus *Pillao* ad *Chacahuassi*.
*Floret* Septembri, et Octobri.

### *PIPER excavatum.* Icon. LIV. *Fig. b.*

2. P. foliis ovatis acuminatis leviter repandis, spicis cylindricis folio duplò brevioribus.

Frutex biorgyalis, glaber.
Caulis erectus, articulatus, nodosus, teres, striatus, ramosus.
Rami consimiles, dichotomi, punctis minimis adspersi.
Folia breviter petiolata, ovata, acuminata, basi parum inaequalia, integerrima, leviter repanda, undecim-tredecimnervia: nervis alternis, supra excavatis.
Petioli semiamplexicaules, supra canaliculati.
Spicae oppositifoliae, solitariae, cylindricae, foliis duplò breviores, rectae.
Flosculi in anulos ferè articulatos digesti.
Squamae obovatae, margine membranaceo, glabro, integerrimo.
Stamina pistillo longiora.
*Habitat* in *Cuchero* nemoribus.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamina. 4 Drupa cum stylo et stigmatibus. 5 Semen. Omnia haec aucta.

### *PIPER scabrum.* Icon. LV. *Fig. b.*

3. P. foliis ovatis acutis rugosissimis subtus pubescentibus supra asperis, spicis erectis.

Frutex ferè quadriorgyalis.
Caulis erectus, teres, articulatus, nodosus, ramosus.
Rami consimiles, subdivisi, nutantes, scabri.
Folia petiolata, ovata ovato-oblongaque, acuta, integerrima, subtus pubescentia, supra aspera: nervis alternis oppositisque, valde venosa, rugosissima, basi inaequalia.
Spatha ovato-lanceolata, villosa, marginibus glabra.
Spicae oppositifoliae, solitariae, erectae, foliis duplò breviores, cylindricae.
Stamina duo, germinis longitudine.
Stigmata tria, reflexa.
*Habitat* in *Huassahuassi* nemoribus.
*Floret* Octobri, et Novembri.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus.

### *PIPER heterophyllum.* Icon. LVI. *Fig. a.*

4. P. foliis ovalibus acuminatis venosis utrinque punctatis, spicis curvatis.

Frutex duodecimpedalis, glaber; coma subrotunda.
Caulis erectus, teres, striatus, articulatus, nodosus, articulationibus distantibus.
Rami consimiles, alternatim dichotomi.
Folia petiolata, ovalia ovato-oblongaque, acuminata, integerrima, rarissima basi inaequalia, nitidissima, venosa; venis alternis, supra prominulis, utrinque punctata, punctis fuscis, marginibus revolutis.
Spicae oppositifoliae, solitariae, pedunculatae, cylindricae, acuminatae, in flore folio triplò breviores, erectae, in fructu longitudine ferè foliorum, curvatae, deflexae.
Flosculi in anulos digesti, squamis totidem distincti.
Squamae cuneiformes, peltatae, margine cristato coronatae.
Filamenta longitudine styli.
Stylus longitudine staminum. *Stigmata* tria, brevia, patentia.
*Habitat* in nemoribus *Pillao* ad *Chacahuassi*, *Chinchao* et *Muña*.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Vernacule Carpunya.*
*Vires*: Folia vi digestivâ pollent.

### *PIPER unguiculatum.* Icon. LVII. *Fig. b.*

5. P. foliis subcordatis quinquenervibus acumine unguiculato basi utrinque revolutis, spicis erectis.

FRUTEX biulnaris, odore et sapore *Piperi nigro* aliquantulum accedente.
CAULIS erectus, infernè divisus, supernè ramosus, articulatus, nodosus, viridiusculus, leviter striatus.
RAMI consimiles, subdivisi, supernè foliosi; articulationibus approximatis.
FOLIA patentia, breviter petiolata, obliquè deflexa, carinata, subcordata, acuta cum acumine brevi, tenero, unguiculiformi ad apicis dorsum, basi inaequalia, marginibus ad basim revolutis, quinquenervia, aliquando septemnervia, utrinque glabra, laevia, supra nitida; nervis lateralibus, obsoletioribus.
PETIOLI breves, supra canaliculati.
SPATHA caduca.
SPICAE oppositifoliae, solitariae, cylindricae, in flore erectae, in fructu patentes, foliis longiores.
FLOSCULI conferti, squamis subrotundis, concavis distincti et suffulti: *flosculus inferior* remotus, hexandrus.
STAMINA quinque, sex, frequentiùs quatuor, singulum germen ambientia. *Antherae* subrotundae, compressiusculae, didymae, biloculares, longitudinaliter utrinque dehiscentes: *loculis* septo intermedio divisis.
GERMEN obtusè 3-5gonum, frequentiùs tetragonum. *Stigmata* totidem, prominula, reflexa, depressa.
DRUPA tri-pentagona, parva, stigmatibus coronata.
*HABITAT* in *Pozuzo* et *Chinchao* nemoribus.
*FLORET* Septembri, et Octobri. Colitur in Hort. Regio Matritensi, ubi floret Majo et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamen. 4 Drupa. 5 Semen. Omnia haec aucta.

### *PIPER CHURUMAYU.* ICON. LVIII. *Fig. b.*

6. P. foliis ovatis acutis, spicis erectis.

ARBOR triorgyalis.
TRUNCUS erectus, supernè ramosus, teres, geniculatus.
RAMI subdivisi, teretes, articulati, nodosi.
FOLIA petiolata, ovata, acuta, integerrima, subcoriacea, nervosa; nervis alternis, glabra, parum venosa.
PETIOLI canaliculati.
SPATHAE magnae, lanceolatae.
SPICAE oppositifoliae, solitariae, erectae, cylindricae, obtusae, foliis paulò breviores.
STYLUS brevissimus. *Stigmata* tria, reflexa.
*HABITAT* in nemoribus *Huassahuassi* ad fluvii margines.
*FLORET* Novembri, et Decembri.
*VERNACULE Churumayu*, id est, fluvii Flagellum.

### *PIPER GRACILE.* ICON. LIX. *Fig. b.*

7. P. foliis ovato-lanceolatis acutis rugosis, spicis gracilibus erectis.

FRUTEX biulnaris.
CAULIS erectus, teres, striatus, scaber, nodosus, ramosus.
RAMI consimiles, subdivisi: *teneri* hispiduli.
FOLIA breviter petiolata, ovato-lanceolata, acuta, integerrima, apice obliquo, basi inaequalia, 11-13nervia, nervis alternis oppositisque, supra parum aspera, subtus venosissima, ferè reticulata, rugosa, pubescentia.
SPICAE oppositifoliae, filiformes, tenues, rectae, in fructu longitudine foliorum.
SQUAMAE flosculos distinguentes, cuneiformes, peltatae, concavae, villis coronatae.
*HABITAT* in *Cuchero* nemoribus.
*FLORET* Julio, et Augusto.

### *PIPER DICHOTOMUM.* ICON. LX. *Fig. b.*

8. P. foliis oblongo-lanceolatis; venis alternis, spicis cylindricis folio brevioribus.

FRUTEX triulnaris.
CAULIS dichotomus, articulatus, nodosus, teres.
RAMI consimiles.
FOLIA petiolata, oblongo-lanceolata, acuta, venosa; venis alternis.
SPICAE oppositifoliae, solitariae, cylindricae, in flore erectae, folio breviores, in fructu dependentes.
*HABITAT* in silvis *Chinchao* ad *Macora* et *Messapata* praedia.
*FLORET* Julio, et Augusto.
*VIRES ET USUS*: Folia ob suam gratissimam fragrantiam et digestivam virtutem ad eosdem usus ac *Pip. Carpunya* adhibentur.

### *PIPER LINEATUM.* ICON. LX. *Fig. a.*

9. P. foliis ovato-oblongis acutis lineatis subplicatis, spicis recurvatis.

FRUTEX duodecimpedalis.
CAULIS erectus, teres, articulatus, nodosus, granulosus, ramosus.
RAMI consimiles, subdivisi, articulationibus approximatis, incrassatis; *teneri* hispiduli.
FOLIA petiolata, ovato-oblonga, acuta, integerrima, lineata, subplicata, basi inaequalia, marginibus reflexis, coriacea, exsucca, supra nitida, glaberrima, subtus leviter pilosa, venosa, venis horizontalibus simplicissimis, 11-15nervia, nervis alternis prominentibus.
SPICAE oppositifoliae, solitariae, recurvatae, cylindricae, longitudine ferè foliorum.
*HABITAT* ad margines fluviorum *Huanuci* et *Panao*, et in *Chinchao* runcationibus vernaculè *Carpales* dictis.
*FLORET* Julio, et Augusto.
*Obs.* Folia luteum colorem praebent.
*Explic. Icon.* 1 Squama. 2 Flosculus. 3 Stamina. 4 Drupa. 5 Semen.

### *PIPER CROCATUM.* ICON. LV. *Fig. a.*

10. P. foliis ovato-oblongis acutis acuminatisque utrinque rugosis supra asperis, spicis erectis foliorum ferè longitudine.

Frutex subtriulnaris.
Caulis erectus, ramosus, scaber, articulatus, nodosus, striatus.
Rami erecto-patentes, subdivisi, scabri, teretes, striati, articulati, nodosi: *teneri* pubescentes.
Folia petiolata, ovato-oblonga, integerrima, acuta acuminataque, basi inaequalia, subtus pubescentia, supra retrorsum aspera, utrinque venosa, rugosissima, nervis alternis.
Spathae lanceolatae, breves, concavae, membranaceae, caducae.
Spicae oppositifoliae, solitariae, erectae, longitudine ferè foliorum, brevissimae, teretes.
Squamae flosculos distinguentes, cuneiformes, peltatae, concavae, villis coronatae.
Stamina quatuor, germen ambientia.
Stigmata reflexa.
*Habitat* in *Pillao* ad *Chacahuassi* nemoribus.
*Floret* Octobri, et Novembri.
*Vires*: Folia Spicaeque adhuc recentes saporem habent et odorem, Piperi nigro quodammodo similem, qui insigniores sunt, postquam spicae ad maturitatem perveniunt, et tunc colorem croceum praebent, quapropter ad cibos condiendos inservire possunt.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus.

### *PIPER lanceolatum.* Icon. LXI. *Fig. b.*

11. P. foliis lanceolatis acutis, spicis brevibus erectis.
Frutex biulnaris, glaber.
Caulis erectus, teres, articulatus, nodosus.
Rami consimiles, subdivisi.
Folia breviter petiolata, lanceolata, acuta, basi aequalia, parum obliqua, integerrima, alternatim venosa, utrinque punctis fuscis notata.
Spicae oppositifoliae, cylindricae, erectae, foliis dimidio breviores.
Squamae margine pubescenti coronatae.
Stylus brevissimus. *Stigmata* brevia.
*Habitat* in nemoribus *Chacahuassi.*
*Floret* Septembri, et Octobri.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamen auctum. 4 Drupa. 5 Semen.

### *PIPER curvatum.* Icon. LIV. *Fig. a.*

12. P. foliis oblongis acuminatis laevibus subtus punctatis nitidis, spicis brevibus curvatis.
Frutex octopedalis, glaber.
Caulis erectus, teres, striatus, articulatus, nodosus, ramosus, articulationibus approximatis.
Rami consimiles, dichotomi.
Folia petiolata, oblonga, acuminata, integerrima, marginibus leviter revolutis, subtus minutim punctata, venosa; venis alternis, nervo venisque supra elevatis, subcoriacea, basi parum inaequalia.
Spicae oppositifoliae, pedunculatae, breves, curvatae recurvataeque, acuminatae, cylindricae, tenues.
Flosculi in anulos digesti.
Squamae subreniformes.
*Habitat* in nemoribus *Cuchero et Chinchao.*
*Floret* Junio, et Julio.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamina. 4 Drupa cum stylo et stigmatibus. 5 Semen.

### *PIPER obovatum.* Icon. LIII. *Fig. b.*

13. P. foliis obovato-oblongis acuminatis utrinque attenuatis, spicis erectis; inferioribus incrassatis; superioribus parvis tenuibus.
Frutex monoicus, triulnaris, glaber, (*Betulae* facie).
Caulis erectus, teres, striatus, articulatus, nodosus, ramosus.
Rami consimiles, subdivisi, articulationibus approximatis.
Folia petiolata, obovato-oblonga, acuminata, utrinque attenuata, basi aequalia, integerrima, marginibus revolutis, venosa, venis alternis, utrinque laevia, punctis fulvis notata.
Spicae oppositifoliae, erectae; *inferiores* subpatentes, foliis duplo breviores, cylindricae, obtusae, crassae; *superiores* longitudine petiolorum, erectae, teretes, acumine subulato.
Squamae cuneiformes, peltatae, concavae, margine pubescenti coronatae.
Drupa obovata.
Nux ejusdem figurae. *Nucleus* subreniformis.
*Habitat* in nemoribus *Chacahuassi.*
*Floret* Junio, Julio et Augusto.

### *PIPER punctatum.* Icon. LXII. *Fig. a.*

14. P. foliis oblongis acuminatis venosis utrinque punctatis, spicis foliis duplo brevioribus.
Frutex quadripedalis, glaber.
Caulis erectus, teres, striatus, articulatus, nodosus, punctatus, ramosus.
Rami consimiles, articulationibus distantibus.
Folia petiolata, oblonga, acuminata, integerrima, basi aequalia, venosa; venis alternis oppositisque, punctata, supra nervo et venis prominentibus.
Spicae oppositifoliae, pedunculatae, erectae, subulatae, foliis duplò breviores.
Flosculi confertissimi, squamis totidem distincti.
Squamae cuneiformes, peltatae, margine denticulato coronatae.
Filamenta pistilli longitudine.
Stylus crassus. *Stigmata* tria, brevia, patentia.
*Habitat* in nemoribus *Pillao* ad *Iscutunam.*
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Squama. 2 Pistillum cum staminibus.

### *PIPER secundum.* Icon. LXII. *Fig. b.*

15. P. foliis oblongis acuminatis glabris laevibus, spicis filiformibus erectis secundis.
Frutex octopedalis, glaber.

Caulis erectus, teres, articulatus, nodosus, scaber, ramosus.

Rami dichotomi, horizontales, consimiles.

Folia petiolata, dependentia, oblonga, acuminata, integerrima, utrinque glabra, laevia, venosa, basi leviter inaequalia.

Spicae oppositifoliae, secundae, ad coelum spectantes, cylindricae, tenues, rectae, foliis paulo breviores.

Flosculi confertissimi, in anulos digesti.

Stigmata patentia.

*Habitat* in nemoribus *Pillao, Muña, Cuchero* et *Chinchao.*

*Floret* Junio, Julio et Augusto.

*Explic. Icon.* 1 Squama. 2 Pistillum cum staminibus.

### *PIPER asperifolium.* Icon. LVI. *Fig. b.*

16. P. foliis ovatis oblongisque acuminatis asperis, spicis teneris curvatis; adultis erectis.

Frutex triulnaris.

Caulis erectus, teres, articulatus, nodosus, scaber, striatus, ramosus.

Rami consimiles, hispiduli, subdivisi.

Folia petiolata, ovata oblongaque, alia acuta, alia acuminata, integerrima, utrinque aspera, rugosa, 11-13nervia; nervis alternis, subtus hispidula, basi inaequalia.

Spicae oppositifoliae, cylindricae, tenues, cum brevi acumine, in flore curvatae, in fructu erectae, foliorum ferè longitudine.

Spathae caducae.

Flosculi densissimi.

Squamae flosculos distinguentes, cuneiformes, peltatae, concavae, villis coronatae.

Antherae cordato-reniformes.

*Habitat* in nemoribus *Pillao* et *Cuchero.*

*Floret* Julio, et Augusto.

### *PIPER longifolium.* Icon. LXI. *Fig. a.*

17. P. foliis oblongo-ovatis obovatisque acuminatis utrinque nitidis venosissimis, spicis recurvatis.

Frutex biorgyalis, subinodorus, ferè insipidus.

Caulis erectus, ramosus, teres, articulatus, nodosus, dichotomus.

Rami consimiles, nitidi.

Folia breviter petiolata, oblongo-ovata obovataque, acuminata, pedalia, lata, integerrima, utrinque nitida, laevia, glaberrima, venosissima; venis alternis oppositisque; marginibus leviter reflexis.

Spathae ovato-lanceolatae, albicantes, membranaceae.

Spicae oppositifoliae, solitariae, foliis breviores, recurvatae, subulatae.

Stylus longus. *Stigmata* erectiuscula.

*Habitat* in nemoribus *Pillao* ad *Iscutunam.*

*Floret* Augusto, Septembri et Octobri.

*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamen. 4 Drupa cum stylo et stigmatibus. 5 Semen. Omnia haec aucta.

### *PIPER mite.* Icon. LVIII. *Fig. a.*

18. P. foliis cordatis acutis 15-19nervibus reticulatis, spicis longioribus subulatis erectis.

Frutex sexpedalis.

Caulis erectus, ramosus, glaber, articulatus, nodosus, teres.

Rami consimiles, pubescentes, mites.

Folia petiolata, ampla, cordata, acuta acuminataque, repanda, integerrima, supra glabra, subtus pubescentia, leviter mitia, 15-19nervia, subtus venoso-reticulata.

Petioli canaliculati.

Spicae oppositifoliae, solitariae, erectae, folio longiores, pedales, teretes, subulatae.

Flosculi in anulos dispositi confertissimi.

*Habitat* in silvis *Cuchero.*

*Floret* Julio, et Augusto.

### *PIPER carpunya.* Icon. LXIII. *Fig. b.*

19. P. foliis cordatis acutis acuminatisque coriaceis, marginibus revolutis, spicis erectis.

Arbor triorgyalis, glaberrima.

Caulis erectus, teres, articulatus, nodosus, ramosissimus.

Rami consimiles, subdivisi, patentes, granulosi, articulationibus approximatis, incrassatis.

Folia (*Aurantij* facie) breviter petiolata, cordata, acuta acuminataque, integerrima, coriacea, basi aequalia, utrinque nitida, marginibus revolutis, venosa: venis alternis.

Spathae lanceolatae.

Spicae oppositifoliae, solitariae, erectae, tenues, longitudine ferè foliorum.

Flosculi confertissimi, in anulos digesti.

Squamae obovatae, concavae, membranaceae, glaberrimae, lutescentes.

Filamenta brevia.

Stylus brevissimus. *Stigmata* tria, brevia, patentia.

*Habitat* in nemoribus *Chinchao* et *Cuchero.*

*Floret* Julio, et Augusto.

*Vernacule Carpunya.*

*Vires et usus*: Folia praesertim sicca fragrantissimum odorem emittunt. Incolae ad indigestiones eorum infusione in aqua calida aut fervente paratâ frequentissime utuntur, et ob gratum saporem cofeae et theae potioni praeferunt. Eadem etiam sicca et contusa blattas certissimè fugant, ideoque in nostris excursionibus per montes Panatahuas ad Animalia et Aves dissectas à blattis praeservandas ipsis non sine fructu semper usi sumus.

*Explic. Icon.* 1 Flosculus.

### *PIPER obliquum.* Icon. LXIII. *Fig. a.*

20. P. foliis oblique cordatis obtusis, spicis longissimis dependentibus.

Frutex biorgyalis, glaber, laevis.

Caulis erectus, teres, articulatus, nodosus.

Rami consimiles, striati.
Folia petiolata, oblique cordata, obtusa, integerrima, magna, subtus 11-15nervia, nervis alternis, venosissima, reticulata, repanda.
Spicae oppositifoliae, solitariae, ferè bipedales, dependentes.
Flosculi in anulos digesti, confertissimi.
*Habitat* in *Cuchero* silvis ad *Cayumba* terminum.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus.

*PIPER acutifolium.* Icon. LXIV. *Fig. a.*

21. P. foliis cordatis acutissimis, spicis erectis cylindricis brevibus.
Frutex biorgyalis.
Caulis erectus, teres, articulatus, nodosus, striatus, ramosus.
Rami consimiles : *teneri* pubescentes, subdivisi.
Folia breviter petiolata, cordata, acutissima, ampla, integerrima, venosissima, utrinque rugosa, subtus pubescentia, supra aspera, alternatim 13-17nervia; apice obliquo, basi inaequali, obliquâ.
Spicae oppositifoliae, cylindricae, erectae, foliis quadruplò breviores.
Flosculi in anulos digesti.
Squamae flosculos distinguentes, cuneiformes, peltatae, concavae, villis coronatae.
Stamina longitudine germinis.
Stigmata tria, revoluta.
*Habitat* in *Cuchero* et *Pozuzo* silvis.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamen. 4 Drupa cum stylo. 5 Semen.

*PIPER angustifolium.* Icon. LVII. *Fig. a.*

22. P. foliis cordato-lanceolatis acutis rugosis, spicis recurvis foliorum longitudine.
Frutex biorgyalis.
Caulis erectus, articulatus, nodosus, ramosus.
Rami subdivisi, geniculati, articulati, subpurpurascentes, teretes, scabri : *teneri* pubescentes, punctati.
Folia breviter petiolata, cordato-lanceolata, acutissima, parum obliqua, basi inaequalia, integerrima, subtus pubescentia, mitia, supra retrorsum scabra, utrinque venosa, reticulata, rugosissima, nervosa; nervis alternis.
Spathae lanceolatae.
Spicae oppositifoliae, solitariae, recurvatae, dum tenerae erectae, foliorum longitudine, cylindricae, sapore piperis nigri.
Stigmata hispida.
*Habitat* in silvis et ripis *Huanuci, Cuchero, Panao, Chacalla* et *Muña.*
*Floret* Julio, Augusto et Septembri.
*Vernacule Mohomoho*, id est, *Nodus nodus.*
*Vires et usus*: Incolae ad gonorrhoeas et ulcera cancrosa à lue venerea ortas exstirpandas decoctum affatim hauriunt.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamina. 4 Drupa cum stylo. 5 Semen.

*PIPER granulosum.* Icon. LXIV. *Fig. b.*

23. P. foliis cordato-lanceolatis obliquis rugosissimis supra scabris, nervis alternis, spicis uncinatis.
Frutex biorgyalis.
Caulis erectus, teres, ramosus, scaber, articulatus, nodosus, ad genicula granulosus; articulationibus approximatis, incrassatis.
Rami consimiles, superne villosi, subdivisi, subdependentes.
Folia breviter petiolata, dependentia, cordato-lanceolata, acuta, parum obliqua, integerrima, basi inaequalia, venosissima, utrinque rugosa, per nervos et venas villosa, suprà magis scabra, bipalmaria, 13-17nervia; nervis alternantibus.
Spicae oppositifoliae, solitariae, in flore arcuatae, foliis dimidio breviores, in fructu erectae.
Squamae flosculos distinguentes, cuneiformes, peltatae, concavae, villis coronatae.
Filamenta articulata. *Antherae* cordatae.
Stigmata tria, revoluta.
*Habitat* in *Pillao* nemoribus.
*Floret* Augusto, et Septembri.
*Vires et usus*: Folia et spicae manibus fricatae gratum et aromaticum odorem spirant, saporemque praebent, quamobrem ad cibos condiendos inservire possunt. Infusum etiam calidum ad indigestiones removendas propinatur.
*Explic. Icon.* 1 Flosculus. 2 Squama. 3 Stamen. 4 Drupa cum stylo et stigmatibus. 5 Semen.

*PIPER peltatum.* Icon. LIX. *Fig. a.*

24. P. foliis cordato-reniformibus acuminatis 19nervibus, pedunculis polystachyis, spicis fasciculatis inaequalibus.
*Piper* (*peltatum*) foliis peltatis, orbiculato-cordatis obtusis repandis, spicis umbellatis. Linn. *Sp. pl. p. 77.*
*Lomba.* Rumphi. *amb. 6. p. 133. t. 59. fig. 1.*
Frutex biorgyalis.
Caulis ramosus, teres, articulatus, nodosus, striatus.
Rami consimiles, striis nodisque villosis.
Folia longe petiolata, ferè peltata, cordato-reniformia, suborbiculata, acuminata, integerrima 17-19nervia, repanda, venosissima.
Petioli ante foliorum explicationem vaginantes, postea semivaginantes, striati, striis villosis, supra canaliculati, maculati.
Pedunculi axillares, solitarii binique, petiolis quadruplo breviores, 15-20 spicas, saepe pauciores, fasciculatas sustinentes.
Spicae inaequales, intra spatham universalem, totidem spathis partialibus distinctae, cylindricae, tenues.
*Habitat* in Provinciae *Panatahuarum* nemoribus ad *Cuchero* vicum, et ad *Maichaynio* praedium.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Obs.* In Prodromi Florae Peruvian. et Chil. Observatione IV. post characterem genericum Peperomiae hanc speciem Piper reniforme appellavimus.

# CLASSIS III.

# TRIANDRIA MONOGYNIA.

## VALERIANA. Linn. *Gen. pl. p. 29.*

### *VALERIANA rigida.* Icon. LXV. *Fig. c.*

1. V. acaulis, floribus triandris, foliis lineari-lanceolatis coriaceis mucronatis, corollis trifidis.

Planta acaulis (*Valerianae tenuifoliae* valde affinis) perennis.

Radix fusiformis, crassa, paucis fibrillis.

Folia numerosissima, inaequalia, in stellae formam imbricata, patentia, lineari-lanceolata, ad basim dilatata et membranacea, mucronata, rigida, coriacea, integerrima, glabra, nitida, avenia, infernè ciliata, utrinque obsoletè punctata, marginibus cartilagineis.

Scapi numerosi è centro foliorum, brevissimi, compressi, subancipites, umbellati, involucrati, albi, basi attenuati.

Involucra *universalia* monophylla, vaginantia, bifida; *laciniis* acutis; *alterâ* breviori: *partialia* consimilia.

Flores sessiles: *singulus* intra involucellum proprium, parvum.

Calyx: *Margo* minimus.

Corolla alba, infundibuliformis. *Tubus* longus, tenuis. *Limbus* trifidus, patens.

Stamina tria, aequalia.

Stigma bifidum.

Semina solitaria, nuda.

*Habitat* in Provinciae *Tarmae* alpibus, dictis *Bombom.*

*Floret* Octobri, et Novembri.

*Explic. Icon.* 1 Involucrum universale cum partialibus. 2 Partiale. 3 Flosculus cum involucello subjecto. 4 Semen.

### *VALERIANA tenuifolia.* Icon. LXV. *Fig. d.*

2. V. acaulis floribus triandris, foliis lineari-subulatis gracilibus, corollis trifidis.

Planta acaulis, perennis. (*Val. rigidae* habitu).

Radix fusiformis, crassiuscula, paucis fibrillis.

Folia numerosa, in stellae formam patentia, inaequalia, lineari-subulata, sessilia, gracilia, integerrima, avenia, glabra, nitida, infernè ciliata, apice rigidiusculo, basi dilatatâ, membranaceâ.

Scapi plurimi è centro foliorum, compressi, ancipites, brevissimi, umbellati, albi, basi attenuati, involucrati.

Involucra *universalia* monophylla, vaginantia, bifida; *laciniis* acutis, inaequalibus: *partialia* consimilia.

Flores sessiles; *singulus* intra involucellum proprium, parvum.

Calyx: *Margo* minimus.

Corolla alba, infundibuliformis. *Tubus* tenuis, longus. *Limbus* trifidus.

Stamina tria, aequalia.

Stigma bifidum, patulum.

Semina solitaria, nuda.

*Habitat* in alpibus *Tarmae* ad *Huassahuassi*, et in Provincia *Huarocherí*, aut *Huarochirí.*

*Floret* Novembri, et Decembri.

*Explic. Icon.* 1 Involucrum universale cum partialibus. 2 Partiale. 3 Flosculus cum involucello subjecto. 4 Semen.

### *VALERIANA pilosa.* Icon. LXVI. *Fig. a.*

3. V. floribus triandris, foliis lineari-lanceolatis, integerrimis, marginibus revolutis.

Planta herbacea, pilosa, (*Plantaginis albicantis* habitu).

Radix ramosa, crassiuscula.

Caulis solitarius, saepe duo aut tres, erectus, pedalis, striatus, subnudus, ad medium foliis duobus linearibus oppositis.

Folia *radicalia* numerosa, sesquipalmaria, erecta, inaequalia, lineari-lanceolata, integerrima, marginibus revolutis: *floralia* opposita, linearia, patula.

Inflorescentia corymbosa.

Pedunculi oppositi. *Pedicelli* umbellati, terni, quini.

Flores capitati, sessiles: *bracteis* obovatis, margine membranaceis, persistentibus distincti.

Calyx marginalis.

Corolla quinquefida, alba.

Stamina tria, exserta. *Antherae* globosae.

Stigma emarginatum.

Semen pappo piloso coronatum.

*Habitat* in frigidis locis *Tarmae* Provinciae ad *Diezmo.*

*Floret* à Majo ad Augustum.

*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Semen anticè et posticè visum. Omnia haec aucta.

### *VALERIANA connata.* Icon. LXVII. *Fig. c.*

4. V. floribus triandris, foliis lanceolatis connatis integerrimis, spicis verticillatis.

Planta suffruticosa, bipedalis. (*Polygoni Persicariae* habitu).

Caules plurimi, subprocumbentes, ramosissimi, cortice rimoso obtecti.

Rami assurgentes, virgati, articulati, ferè vaginati, cavi: *teneri* bifariam alternatim pubescentes, obscurè helvoli, striati.

Folia subconnata, sessilia, lanceolata, integerrima, ad basim utrinque ciliata, glabra.
Spica verticillata.
Pedunculi oppositi, trifidi; *bracteolis* duabus, lanceolato-linearibus, connatis stipati.
Flores sessiles, capitati; *bracteis* lanceolatis, obtusis, membranaceis, persistentibus distincti.
Calyx marginalis.
Corolla minima, quinquefida, alba.
Stamina tria, corollae longitudine.
Stigma emarginatum.
Semen pappo piloso coronatum.
*Habitat* in frigidis locis *Bombom* ad *Diezmo* inter rupes.
*Floret* Majo, et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Squama. 2 Flos. 3 Corolla cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Semen.

*VALERIANA coarctata.* Icon. LXVIII. *Fig. a.*

5. V. floribus triandris: foliis lanceolato-spathulatis margine denticulatis ciliatis, spicâ conicâ coarctatâ.
Planta herbacea.
Radix fusiformis, infernè divisa.
Caulis ferè pedalis, erectus, striatus, infernè nudus, supernè foliosus, pubescens: *villis* deciduis.
Folia *radicalia* imbricata, bipalmaria, lanceolato-spathulata, canaliculata, extus purpurascentia: *floralia* terna, quaterna, lanceolata; *omnia* margine denticulata, ciliata, utrinque glabra.
Spica terminalis, conica, coarctata.
Flores verticillati, in capitula congesti, sessiles; *bracteis* cuneiformibus, latiusculis, brevibus distincti.
Verticillus inferior, remotus.
Corolla alba, quinquefida.
Semina oblonga, squamis quinque coronata.
*Habitat* in locis altis frigidis *Tarmae* ad *Huassahuassi.*
*Floret* Novembri, et Decembri.
*Vernacule Huarituru.*
*Vires*: Ad fracturas specificum remedium perhibetur Radix.
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. Omnia haec aucta.

*VALERIANA serrata.* Icon. LXVIII. *Fig. c.*

6. V. floribus triandris, foliis lanceolato-spathulatis, supernè serratis, spicis verticillatis.
Planta herbacea, glabra, caespitosa.
Radix crassa.
Caules plures, teretes, striati, infernè nudi; *intermedius* longior, semipedalis.
Folia *radicalia* lanceolato-spathulata, supernè serrata: *floralia* opposita, linearia, apice serrata.
Spica terminalis, sesquipalmaris.
Flores verticillati, sessiles, in capitula congesti; *bracteis* cuneiformibus, membranaceis, persistentibus distincti.
Verticilli distantes; *superiores* approximati.
Corolla alba, quinquefida.
Semen oblongum, squamis quinque coronatum.
*Habitat* in locis frigidis *Caxatambo* Provinciae ad *Cheuchin.*
*Floret* Majo, Junio et Julio.
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Semen. Omnia haec aucta.

*VALERIANA spathulata.* Icon. LXVIII. *Fig. b.*

7. V. floribus triandris, foliis spathulatis sublinearibusque obtusis, corollis trifidis, umbellâ sessili involucratâ.
Planta caespitosa.
Radix ramosa, fibrillosa.
Caulis prolifer, subpalmaris, anceps, infernè foliis numerosissimis tectus.
Folia erecto-patentia, spathulata sublinearia que, integerrima; microscopio visa ciliata, pubescentia: *radicalia* confertissima: *superiora* sparsa.
Flores umbellati, sessiles, involucrati.
Involucra monophylla, 4-6flora: *laciniis* linearibus, acutis.
Calyx nullus, nisi *Margo* minimus.
Corolla alba. *Tubus* tenuis, longus. *Limbus* trifidus, patens.
Stamina tria, aequalia.
Semina margine coronata.
*Habitat* in alpibus Provinciae *Tarmae* ad *Bombom.*
*Floret* Januario, et Februario.
*Explic. Icon.* 1 Involucrum. 2 Flos. 3 Folium. Omnia haec aucta.

*VALERIANA oblongifolia.* Icon. LXV. *Fig. a.*

8. V. floribus triandris, foliis oblongis dentatis, corymbo terminali.
Planta herbacea, pilosa.
Radix crassiuscula, fibrillosa.
Caules plures, inaequales, striati; *intermedius* longior, bipalmaris.
Folia radicalia, petiolata, oblonga, dentata: *floralia* opposita, sessilia, semiamplexicaulia, lanceolato-linearia, profundè dentata.
Corymbus terminalis.
Flores congesti, sessiles; *bracteis* linearibus distincti.
Corolla alba, quinquefida.
Stamina tria.
Stigma bifidum, reflexum.
*Habitat* in alpibus *Tarmae*, versùs *Pasco* oppidum.
*Floret* Aprili, et Majo.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bractea. 2 Pistillum. 3 Semen.

*VALERIANA pinnatifida.* Icon. LXIX. *Fig. b.*

9. V. floribus triandris corymbosis, foliis infimis lanceolatis integerrimis; reliquis pinnatifidis laciniatis, paniculâ brachiatâ.
Planta herbacea, succosa.
Radix tuberosa, longa, (odore *Valerianae Phu* simillimo).

CAULIS erectus, simplicissimus, striatus, cavus, infernè aphyllus.
FOLIA *radicalia* longè petiolata; *duo inferiora* lanceolata, integerrima; reliqua pinnatifido-laciniata: *caulina* opposita, sessilia, semiamplexicaulia, pinnatifida; *laciniis* omnibus serrato-dentatis.
PANICULA elongata.
PEDUNCULI brachiati, corymbosi.
PEDICELLI *inferiores* brachiati; *terminales* dichotomi.
BRACTEOLAE duae sub pedunculis et pedicellis, oppositae, lineares.
FLORES triandri, sessiles.
CALYX marginalis.
COROLLAE albae.
SEMEN pappo coronatum.
*HABITAT* in collibus altis *Limae* et *Chancay*.
*FLORET* Majo, et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Calyx supra germen. 2 Corolla cum staminibus. 3 Eadem scissa. 4 Pistillum. 5 Semen.

### *VALERIANA* OFFICINALIS.

10. V. floribus triandris, seminibus papposis, foliis omnibus pinnatis. LINN. *Sp. pl. p. 45.*
PLANTA ramosa.
CAULIS erectus, bipedalis, tener, striatus.
FOLIA *radicalia* longè petiolata, laciniata, pinnata pinnatifidaque; *caulina* opposita, pinnata; *laciniis* incisis serratis.
FLORES subumbellati.
COROLLA alba.
*HABITAT* in collibus altis *Limae* et *Chancay* ad *Jequan*.
*FLORET* Majo, et Junio.

### *VALERIANA* PHU.

11. V. floribus triandris, foliis caulinis pinnatis radicalibus indivisis. LINN. *Sp. pl. p. 45.*
*HABITAT* in *Peruviae* collibus ad *Cercado* et *Chancay* Provincias, et ad *Sancti Jacobi Chilensis* urbem.
*FLORET* Octobri, et Novembri.

### *VALERIANA HYALINORRHIZA.* ICON. LXVII. *Fig. b.*

12. V. floribus triandris, foliis radicalibus subrotundis crenatis; caulinis pinnatifido-dentatis, paniculâ terminali.
PLANTA herbacea, pubescens.
RADIX tuberosa, saepe obovata, hyalina, insipida, alba.
CAULIS erectus, semipedalis, simplicissimus purpurascens.
FOLIA *radicalia* petiolata, subrotunda, crenato-dentata; *intimum* utrinque appendiculatum: *Caulina* connata, distantia, pinnatifido-dentata.
PANICULA terminalis.
PEDUNCULI axillares, oppositi.
PEDICELLI communes corymboso-dichotomi, bracteis subulatis suffulti.
FLORES breviter pedicellati bracteolâ lineari stipati.
CALYX marginalis, obsoletus.
COROLLA lutea. *Tubus* brevis. *Limbus* quinquefidus.
FILAMENTA tria, minima. *Antherae* subrotundae.
STIGMA trifidum.
SEMEN oblongo-tetragonum, denticulis minimis coronatum.
*HABITAT* in aridis locis arenosis *Conceptionis Chile.*
*FLORET* Septembri, Octobri et Novembri.
*Explic. Icon.* 1 Bracteola. 2 Flos. 3 Pistillum.

### *VALERIANA CRISPA.*

13. V. floribus triandris, foliis inferioribus ovato-oblongis serratis; caulinis subpinnatis: foliolis lanceolatis, racemis dichotomis.
PLANTA herbacea.
RADIX fibrillosa.
CAULIS bipedalis, erectus, ramosus, fragilis, teres, striatus, cavus.
FOLIA opposita, petiolata: *inferiora* ovato-oblonga, dentato-serrata; *caulina* pinnata pinnatifidaque: *foliola* sessilia, reflexa, lanceolata, serrata, undulato-crispa; *intima* gradatim minora; *extimum* maximum.
RACEMI terminales, dichotomi.
COROLLA alba.
SEMEN coronatum.
*HABITAT* in *Regni Chilensis* pratis, arvis et agris, in *Conceptionis*, *Puchacay* et *Cauguenes* Provinciis.
*FLORET* Octobri, et Novembri.

### *VALERIANA CORNUCOPIAE.*

14. V. floribus diandris ringentibus, foliis ovatis sessilibus. LINN. *Sp. pl. p. 44.*
PLANTA herbacea.
CAULIS semipedalis, erectus, simplex.
FLORES purpurei albique.
*HABITAT* in locis arenosis *Chile.*
*FLORET* Octobri, et Novembri.

### *VALERIANA PANICULATA.* ICON. LXX. *Fig. a.*

15. V. floribus triandris, foliis radicalibus indivisis cordatis acutis; caulinis pinnatis, paniculâ diffusâ.
PLANTA herbacea, villosa.
RADIX ramosa, fibrillosa, (odore foetido *Valerianae Phu* simillimo).
CAULES plures, aggregati, parum foliosi, ferè bipedales, erecti, teretes, obsoletè ancipites, striato-sulcati, cavi, simplicissimi.
FOLIA *duo radicalia inferiora* cordata, acuta, integerrima: *reliqua* et *caulina* ternata, impari-pinnataque: foliolis ovatis, acutis, denticulatis, intimis minoribus; impari acuminato: *caulina* opposita.

Petioli canaliculati, vaginantes.
Panicula diffusa.
Pedunculi brachiati, distantes. *Pedicelli* dichotomi.
Bracteolae duae sub singulis binis pedunculis et pedicellis, oppositae, parvae, lineares.
Calyx marginalis, decemangulatus.
Corolla alba, minima. *Tubus* calcari minimo. *Limbus* quinquefidus.
Stamina tria.
Semina oblonga, parum compressa, pappo ex calyce explicato formato, plumoso, decemradiato coronata.
*Habitat* in locis uliginosis et petrosis Provinciae *Panatahuarum* ad *Muña*.
*Floret* Augusto, et Septembri.
*Vernacule Macaë.*
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteola. 2 Corolla cum staminibus. 3 Eadem scissa. 4 Pistillum. 5 Semen.

## *VALERIANA laciniata.* Icon. LXIX. *Fig. a.*

16. V. floribus triandris, foliis radicalibus simplicibus; caulinis impari-pinnatis: foliolis laciniatis, pedunculis 5-12-floris.

*Valeriana* (*chaerophylloides*) floribus triandris, foliis omnibus pinnatis: foliolis pinnatifidis laciniatis, pedunculis axillaribus. Smith. *fasc. 3. p. 53. Ic. 53.*
Planta herbacea, , succosa, nitida, glabra, annua.
Radix fibrosa.
Caulis bipedalis, erectus, teres, obsoletè anceps, striatus, cavus, hyalinus, ramosus.
Rami oppositi, consimiles.
Folia opposita petiolata, patentia, glabra; *radicalia* simplicia, subrhombea, incisa; *caulina* impari-pinnata: *foliola* opposita alternaque, duplicato-laciniata.
Petioli ad basim pubescentes.
Pedunculi axillares, solitarii, longi, filiformes, dichotomi, 5-12flori.
Bracteolae duae sub singulo pedicello, oppositae, lanceolatae.
Calyx: *Margo* quinquedentatus.
Corolla infundibuliformis, alba. *Limbus* quinquepartitus; *laciniis* ovatis.
Stamina: *Filamenta* tria, parum exserta. *Antherae* subrotundae.
Stylus longitudine staminum, semitrifidus. *Stigmata* tria, divaricata.
Semen ovatum, nudum.
*Habitat* in collibus *Limae* et *Chancay* inter rupes: affatim in nemoribus *Chinchao* et *Muña*.
*Floret* à Majo ad Septembrem.
*Vulgo Arvegilla.*
*Usus*: Incolae hanc plantam in manipulos redactam, et inter calidos cineres leviter torrefactam, ad morbosa grana seu eruptiones cutaneas inflammatorias ab umbra arboris *Mayco* nuncupatae provenientes, exstirpandas, partibus malè affectis applicant, quod in nobismetipsis experti sumus.
*Explic. Icon.* 1 Calyx supra germen. 2 Corolla cum staminibus. 3 Eadem scissa. 4 Pistillum. 5 Semen.

## *VALERIANA interrupta.* Icon. LXVII. *Fig. a.*

17. V. floribus triandris, foliis pinnatifido-laciniatis interruptis; laciniis dentiformibus, corymbis involucratis.
Planta herbacea, succosa, glabra.
Radix crassa, bifida, perennis.
Scapi plures, teretes, striati, cavi.
Folia radicalia, pinnatifido-laciniata (*Scorzonerae laciniatae* haud dissimillia) laciniis interruptis, dentiformibus.
Inflorescentia corymbosa, involucrata.
Involucrum diphyllum: foliis oppositis, pinnatifidis.
Flores capitati, sessiles, *bracteis* linearibus distincti.
Corolla alba, quinquefida.
Stamina tria, exserta.
*Habitat* in alpibus *Tarmae* Provinciae ad *Diezmo* sedem.
*Floret* Aprili, et Majo.
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Corolla cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Semen.

## *VALERIANA decussata.* Icon. LXX. *Fig. b.*

18. V. floribus triandris, foliis impari-pinnatis; foliolis lanceolatis, intimis minimis, paniculâ decussatâ, pedunculis dichotomis.
Planta herbacea, pubescens, incana.
Caulis erectus, subscandens, tripedalis, teres, striatus, cavus, leviter pubescens.
Folia breviter petiolata, impari-pinnata; *foliola* lanceolata, remotè denticulata, subtus tomentosa, incana, supra pubescentia; *intima* minima; *extima* gradatim majora.
Flores paniculati: *panicula* maxima.
Pedunculi decussati.
Pedicelli dichotomi, horizontales.
Bracteolae duae sub singulis binis pedunculis et pedicellis, oppositae, lineares.
Corolla minima, alba.
Semina pappo plumoso, 10-12radiato coronata.
*Habitat* in *Huanuci* sepibus et locis petrosis.
*Floret* Majo, Junio et Julio.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bractea. 2 Corolla cum staminibus. 3 Eadem scissa. 4 Pistillum. 5 Semen.

## *VALERIANA virgata.* Icon. LXVI. *Fig. b.*

19. V. floribus triandris, foliis pinnatis: foliolis bi-trifidis; laciniis linearibus, paniculâ subcorymbosâ.
Planta suffruticosa, glabra, (habitu *Tagetis minutae*).
Caulis tripedalis, ramosissimus, tetragonus, striatus, parum cavus, obsoletè pubescens.

RAMI consimiles, virgati, erecti. *Ramuli* patentiusculi.
FOLIA opposita, impari-pinnata: *foliola* minuta, nonnulla integra, bi-trifidave, pauciora quadrifida; *laciniis* linearibus integerrimis emarginatisque, supra nitidis.
PANICULA subcorymbosa.
PEDUNCULI brachiati.
PEDICELLI *superiores* dichotomi.
BRACTEOLAE oppositae, lineares, acutae, persistentes.
FLORES ex dichotomiis, sessiles.
CALYX marginalis.
COROLLA alba.
STAMINA tria, exserta.
STIGMA oblongum, bifidum.
SEMEN papposum, ovato-oblongum, compressum, marginale, hinc striatum, inde dorso elevato.
*HABITAT* in *Cantae* Provinciae praeruptis.
*FLORET* Martio, Aprili et Majo.
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Semina antice et postice visa.

### *VALERIANA GLOBIFLORA.* ICON. LXV. *Fig. b.*

20. V. floribus triandris, foliis pinnatis: foliolis sinuato-dentatis, bracteis spathulatis, capitulis globosis.
PLANTA herbacea, pilosa, humilis.
RADIX bi-trifida, crassiuscula, fibrillosa.
SCAPI plures, semipalmares, teretes, striati.
FOLIA radicalia, petiolata, scapi ferè longitudine, pinnata; *foliola* sessilia, sinuato-dentata.
FLORES sessiles, in capitulum globosum collecti, *bracteis* numerosis, spathulatis, submembranaceis, glabris distincti.
CALYX marginalis.
COROLLA alba, quinquefida.
STAMINA tria, exserta.
STIGMA bifidum.
SEMEN papposum.
*HABITAT* in alpibus *Cantae* et *Tarmae*, praecipuè ad *Bombom*.
*FLORET* Majo, et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bractea. 2 Pistillum. 3 Semen.

## HETERANTHERA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. pag.* 9. ICON. II.

### *HETERANTHERA RENIFORMIS.* ICON. LXXI. *Fig. a.*

1. H. foliis reniformibus, caule repente.
PLANTA herbacea, stolonifera.
RADIX fibrosa; *radiculis* plurimis è singulo geniculo verticillatis, fibrillosis.
CAULIS repens, ramosus, articulatus, teres, striatus.
SPATHAE communes ex caulis articulationibus, oblongae, convolutae, membranaceae, striatae, tenuissimae, pellucidae, folia et fructificationes adhuc teneras claudentes.
FOLIA alterna, petiolata, reniformia, integerrima, glabra, subtus lineata.
PETIOLI longissimi, semiamplexicaules, margine membranaceo, teretes, leviter striati, cavi.
PEDUNCULI è medio petiolorum, solitarii, recurvati, tri-quadriflori.
FLORES alterni, breviter pedicellati, intra spatham oblongam, acumine lineari terminatam, primum convolutam, tandem reflexam.
COROLLA ex albo-viridis.
*HABITAT* in Provincia *Cercado*, in paludibus et stagnatis *Lurin*, *Limae*, *Surco*, *Miraflores*, *Magdalena* et *Lurigancho*.
*FLORET* Decembri, et Januario.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Stamina. 3 Pistillum. 4 Capsula corollâ marcidâ involuta. 5 Eadem à corolla libera. 6 Capsula transversim secta. 7 Eadem longitudinaliter scissa. 8 Semina. 9 Spatha aperta, ut insertio florum conspiciatur.

## COMMELINA. LINN. *Gen. pl. p.* 38.

### *COMMELINA HISPIDA.* ICON. LXXIII. *Fig. a.*

1. C. corollis aequalibus, foliis ovato-lanceolatis obtusis hispidulis margine scabris, pedunculis subquinquefloris.
PLANTA herbacea, sesquiulnaris.
RADIX fibrosa.
CAULIS erectus, teres, articulatus, striatus, pubescens.
FOLIA alterna, vaginantia, ovato-lanceolata, obtusa, utrinque hispidula, 11-17nervia, margine scabra; *majora* bipalmaria.
VAGINAE membranaceae, ore ciliatae, antice lineâ villosâ, subpurpurascentes.
PEDUNCULI è vaginis solitarii, oppositifolii, foliis paulò breviores, subpatentes, superne incrassati.
SPATHA cordata, compressa, deflexa, nervosa, hispidula, margine ciliata, quadri-sexflora.
PEDICELLI recurvati: *Spatha* parva, lanceolata, concava sub singulo flore.
COROLLA: *Petala* sex, caerulea: *duo* ex tribus exterioribus obovata; *alterum* oblongum, concavum; *interiora tria* maxima, emarginata, ovalia, concava, breviter unguiculata.
NECTARIA tria, staminiformia, capitulo stellaeformi, luteo.
FILAMENTA tria, subulata. *Antherae* oblongo-lineares, sulcatae, utrinque emarginatae.
GERMEN superum, trigonum. *Stylus* filiformis, declinatus.
STIGMA subcapitatum, obsoletè tridentatum.
CAPSULA ovata, trigona, trilocularis, trivalvis, membranacea.
SEMINA compressa.
*HABITAT* in *Camanae* Provinciae collibus *Atiquipa*, vulgo *Lomas* de *Atiquipa*, ubi Joannes Tafalla descripsit et delineavit.
*FLORET* tempore pluviarum, scilicet ab Aprili ad Augustum.
*Explic. Icon.* 1 Pistillum. 2 Capsula. 3 Eadem aperta. 4 Semina.

*COMMELINA FASCICULATA.* ICON. LXXII. *Fig. b.*

2. C. corollis aequalibus, foliis lanceolatis acutis, vaginis ciliatis, caule assurgenti, radice fasciculata.

PLANTA herbacea, perennis.

RADIX fasciculata, tuberosa: tuberculis oblongis, teretibus, pendulis, lanuginosis.

CAULIS assurgens, striatus, pilosus: *pilis* deciduis.

FOLIA alterna, vaginantia, carinata, lanceolata, acuta, angusta, integerrima, novemnervia, subtus magis pubescentia, villis deciduis.

VAGINAE ore ciliatae.

SPATHA cordata, carinata, compressa.

PEDUNCULI gemini, villosi: *alter* tenuis, longus, uni-biflorus; *alter* crassiusculus, brevis, quadri-quinqueflorus.

FLORES breviter pedicellati.

PETALA *interiora* aequalia, caerulea: *exteriora* breviora, albida.

ANTHERAE lineares, basi bifidae.

STIGMA tridentatum.

*HABITAT* in collibus, et arvis *Chancay* et *Limae*.

*FLORET* Augusto, et Septembri.

*COMMELINA GRACILIS.* ICON. LXXII. *Fig. a.*

3. C. corollis aequalibus, foliis ovatis acutis margine scabris, vaginis longis ciliatis, caule repente.

PLANTA herbacea.

RADIX fibrosa.

CAULIS bipedalis, gracilis, repens, ramosus, teres, geniculatus, striatus, glaber, saepe purpurascens.

RAMI alterni, consimiles.

FOLIA alterna, ovata, acuta, nervosa, integerrima, marginibus retrorsum scabris, utrinque glabra, vaginantia, ferè petiolata.

VAGINAE longae, membranaceae, pellucidae, ciliatae.

SPATHAE cordatae, compressae, ciliatae, persistentes.

PEDUNCULI longitudine ferè spathae, solitarii, quinqueflori, saepe gemini; *alter* uni-biflorus; *alter* tri-quadriflorus.

PEDICELLI erecti, in fructu recurvati.

PETALA *tria exteriora* albida, ovata, parva, concava, quorum *duo* latiora; *interiora tria* caerulea, subrotunda, subundulata, quorum *duo majora* patentia, pedicellata; *tertium* sessile, concavum.

NECTARIA duo, subulata, staminiformia, tenuia, brevia, furcata, lutescentia.

STAMINA: *Filamenta* tria, subulata, longitudine petalorum interiorum, declinata. *Antherae* ovatae, bifidae.

GERMEN ovatum *Stylus* subulatus, incurvus, longitudine staminum. *Stigma* obsoletè tridentatum.

CAPSULA ovata, acuminata, triangularis, trisulca, trilocularis, trivalvis.

SEMINA bina, angulata.

*HABITAT* in cultis et humidis locis *Huanuci* et *Limae*.

*FLORET* per totum ferè annum.

*Explic. Icon.* 1 Petalum.

*COMMELINA NERVOSA.*

4. C. corollis subaequalibus, foliis lanceolatis, 16nervibus, vaginis hirsutis, caule erecto.

PLANTA herbacea.

CAULIS tripedalis, erectus.

FOLIA alterna, subpetiolata, lanceolata, acuta, supra nitida, utrinque glabra, basi hirsuta, erecta, decidua.

VAGINAE nervosae, ore hirsutae.

PEDUNCULI axillares.

SPATHAE cordatae, multiflorae.

COROLLA purpureo-violacea.

*HABITAT* in umbrosis ad *Cuchero* vicum.

*FLORET* Julio, et Augusto.

## HIPPOCRATEA. LINN. *Gen. pl. p.* 34. JACQ. 9. *Coa* Plum. 35.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Perianthium* minimum, pentaphyllum: *foliolis* subrotundis, concavis: inferum, deciduum.

COR. *Petala* quinque, ovata, apice biexcavata.

STAM. *Filamenta* tria in urceolum, germen involventem, coalita, supernè libera, subulata, basi latiora, erecta, longitudine corollae. *Antherae* erectae, reniformes, biloculares, bivalves, supernè dehiscentes.

PIST. *Germen* obovatum, trigonum. *Stylus* subulatus, apice trisulcus, erectus, longitudine staminum. *Stigma* trigonum.

PER. *Capsulae* tres, obovatae, emarginatae, compressae, striatae, uniloculares, 5-6spermae, bivalves: *valvulis* carinatis, compressis.

SEM. oblongo-reniformia, infernè aucta alâ membranaceâ, receptaculo insidentia.

*HIPPOCRATEA VIRIDIS.* ICON. LXXIV. *Fig. a.*

1. H. corymbis dichotomis, foliis ovatis obtusè acuminatis.

FRUTEX scandens, triorgyalis, glaber.

CAULIS teres, ramosus.

RAMI brachiati, teretes.

FOLIA opposita, petiolata, patentia, ovata, obtusè acuminata, integerrima, subcoriacea, supra nitida, nonnulla oblonga, leviter serrata.

PETIOLI canaliculati, contorti, breves.

PEDUNCULI axillares terminalesque; *foliis* dimidiò breviores, dichotomi, corymbosi.

PEDICELLI *bracteolis* parvis, ovatis, acutis, concavis suffulti.

FLORES parvi, lutei.

CAPSULAE virides, pollicares.

*Habitat* in nemoribus *Andium* ad *Pozuzo* vicum.
*Floret* Septembri, et Octobri.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Stamina in urceolum cum pistillo. 4 Stamina libera. 5 Pistillum. 6 Capsulae. 7 Capsula dehiscens. 8 Semen.

## ANTHODON.

### CHARACTER GENERICUS.

Cal. *Perianthium* pentaphyllum: *foliolis* subrotundis, dentato-ciliatis, concavis, marginibus invicem incumbentibus: inferum, deciduum.
Cor. *Petala* quinque, inaequalia, ovato-oblonga, dentato-ciliata, patentia, calyce triplò longiora.
*Nectarium*: *Discus* minimus, cyathiformis, inter petala et stamina.
Stam. *Filamenta* tria, linearia, plana, nectarii longitudine. *Antherae* erectae, subreniformes, biloculares, bivalves, rimâ transversali supernè dehiscentes.
Pist. *Germen* ovatum. *Stylus* brevis. *Stigma* obtusum.
Per. non offendimus.
*Obs.* Genus Hippocrateae Jacquini et Tonsellae Schreberi vel Tonteleae Aublet affine. Genus *Anthodon* à foliolis calycinis et petalis dentato-ciliatis nominavimus.

### *ANTHODON decussatum.* Icon. LXXIV. *Fig. b.*

1. A. corymbis dichotomis, foliis oblongis leviter serratis.
Frutex volubili-scandens.
Caulis ramosissimus, teres.
Rami brachiati, teretes, cinerei: *teneri* purpurascentes.
Folia opposita, petiolata, oblonga, acuminata, nonnulla ovata, leviter serrata, saepe serrato-crenata, utrinque glabra, supra nitida, patentia.
Petioli canaliculati, contorti.
Pedunculi axillares, tetragoni, solitarii: *foliis* breviores, dichotomi, corymbosi.
Pedicelli breves; *bracteolis* oppositis, ovatis, acutis, concavis, apice ciliatis suffulti.
Flores parvi, lutei.
*Habitat* in nemoribus *Andium* prope *Pozuzo* vicum.
*Floret* Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Stamina. 4 Nectarium. 5 Pistillum.

## CALLISIA. Linn. *Gen. pl. p.* 39.

### *CALLISIA repens.* Icon. LXXIII. *Fig. b.*

1. C. foliis cordatis vaginantibus, vaginis subtrifloris.
*Callisia (repens.)* Jacq. *Pictur. p. 12. t. 14.* Linn. *Sp. pl. p. 116.*
Planta herbacea, glabra, repens.
Caules plures, repentes, ramosi, teretes.
Rami assurgentes.
Folia alterna, vaginantia, cordata, acuta, enervia, nitida, carnosa, hyalina, margine purpureo, obsoletè denticulato-ciliata, nonnulla acuminata, integerrima.
Vaginae ore villosae, punctis purpureis maculatae.
Flores è vaginis parvis breviter pedunculati, virides, 3 ad 6 ex singula vagina, sed plerumque tres, totidem *bracteis* subulatis, ciliatis, membranaceis distincti.
Calycis *Folium inferius* dorso ciliatum, reliquis majus.
Stigma bilobum, penicilliforme.
Capsula lentiformis, acuminata, bilocularis, bivalvis: dissepimento contrario.
Semina compressa, subtrigona, hinc plana, inde umbilicata, radiata, fusca.
*Obs.* Reliqua ut in Charactere generico *Callisiae* Jacquini.
*Habitat* ad urbem *Huanuci* sub fruticibus aliisque plantis.
*Floret* Majo, Junio et Julio.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bractea. 2 Capsula. 3 Eadem dehiscens aucta. 4 Semina.

## CALYXHYMENIA. *Ortega Decad. 1. p. 5.*

### Icon. I.

### *CALYXHYMENIA expansa.* Icon. LXXV. *Fig. a.*

1. C. floribus dichotomo-corymbosis, foliis ovatis subrepandis glabris, staminibus corollae longitudine.
Planta perennis, glabra.
Radix ramosa, fibrosa.
Caulis sexpedalis, erectus, teres, striatus, alternatim ramosus, subdivisus, geniculatus.
Rami consimiles, supernè inaequaliter expansi.
Folia opposita; *alterum* majus; distantia, petiolata, ovata, acuta, subrepanda, venosa, obsoletè crenulata: *floralia* subsessilia.
Pedunculi terminales, dichotomo-corymbosi, 6-11 flori.
Flores pedicellati; *pedicellis* inaequalibus, parum viscosis.
Calyx pubescens, glutinosus, quinquefidus: *laciniis* ovatis, acutis.
Corolla purpurea, subcampanulata. *Tubus* longitudine ferè calycis. *Limbus* plicabilis, patens, quinquefidus: *laciniis* ovatis, emarginatis.
Stamina tria, corollae longitudine.
Semen oblongo-obovatum, scabrum.
*Habitat* in collibus aridis *Chancay* et *Limae* ad *Amancaes*.
*Floret* Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Nectarium cum staminibus in basi corollae scissâ aucta. 4 Pistillum. 5 Drupa in calyce expanso. 6 Drupa. 7 Eadem longitudinaliter secta. 8 Nucleus.

### *CALYXHYMENIA ovata.* Icon. LXXV. *Fig. b.*

2. C. floribus dichotomo-corymbosis, foliis ovatis viscosis hirsutis, staminibus longitudine ferè corollae.

Planta perennis, viscosa, hirsuta: *villi* inaequales, articulati et glanduliferi.
Caulis erectus, tripedalis, subdivisus, teres, geniculatus, ramosus.
Rami consimiles, patentes.
Folia opposita, petiolata, ovata, acuta, integerrima, margine scabra, crassa, parum venosa; *alterum* majus.
Pedunculi terminales; dichotomi, corymbosi.
Pedicelli uniflori, breves.
Calyces quinquefidi, parvi, crescentes in membranam venoso-reticulatam, patentissimam.
Corolla rubra, calyce duplò major. *Tubus* brevissimus. *Limbus* patens, plicatilis.
Stamina tria, corollae ferè longitudine.
Semen obovatum, laeve.
*Habitat* in collibus *Chancay* Provinciae ad *Huaura* oppidum, et in montibus *Lachay*, *Pasamayo* et *Jequan*.
*Floret* Majo, et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Villi articulati et glanduliferi aucti.

## *CALYXHYMENIA prostrata.* Icon. LXXV. *Fig. c.*

3. C. floribus subcorymbosis, foliis cordatis ovatisque, staminibus corollâ brevioribus.
Planta herbacea, leviter pubescens, prostrata.
Caulis tripedalis, teres, leviter striatus, articulatus, ramosus.
Rami consimiles, alterni, subdivisi, supernè dichotomi.
Folia opposita, petiolata, patentia, lata, cordata ovataque, obtusa acutaque, repando-undulata, obsoletè crenulata, venosa: *alterum* majus.
Pedunculi axillares terminalesque, et ex dichotomiis, breves, quinque-octoflori, glandulosi.
Flores subcorymbosi, breviter pedicellati.
Calyx campanulatus, semiquinquefidus: *laciniis* ovatis, acutis, erectis: inferum, persistens.
Corolla calyce triplò longior, purpurea. *Tubus* calyce brevior. *Limbus* patens, plicabilis, quinquefidus: *laciniis* emarginatis.
Stamina: *Filamenta* tria, filiformia, corollâ breviora.
*Obs. Germen* ab insectis malè affectum in coccum globosum, acuminatum, magnum, fungosum, purpureum, tomentosum abit.
*Habitat* in collibus dictis *Lomas de Atiquipa*, in *Camanae* Provincia, unde ad nos Joannes Tafalla descriptionem, iconem et plantam siccam missit.
*Floret* Majo, Junio et Julio.
*Vulgo Pegapega.*
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla cum staminibus scissa, cui nectarium subjectum. 3 Calyx. 4 Pistillum. 5 Drupa.

## *CALYXHYMENIA viscosa.*

4. C. floribus paniculatis, foliis cordatis, staminibus corolla duplò longioribus.
*Mirabilis* (*viscosa*) floribus racemosis, foliis cordatis, orbiculato-acutis, tomentosis. Cavanill. *Icon. vol. 1. pag. 13. num. 17. t. 19.*
Planta perennis, hirsutissima, viscosissima: *villi* inaequales, articulati, glanduliferi.
Radix ramosa, fibrillosa.
Caulis orgyalis, erectus, ramosus, teres, leviter striatus, geniculatus.
Rami consimiles, brachiati, patentes.
Folia opposita, longè petiolata, cordata, acuta obtusaque, integerrima, repanda, venosa: *alterum* majus.
Petioli subteretes, striati.
Pedunculi axillares terminalesque in paniculam brachiatam, maximam, foliosam: *foliolis* minimis, oppositis, sessilibus, cordatis.
Flores solitarii, breviter pedicellati.
Pedicelli in flore erecti, in fructu recurvi.
Calyx inferus, in flore parvus, erectus, quinquefidus; post floris decidentiam pentagonus, plicatus, in fructu maximus, membranaceus, expansus, rugosus, venoso-reticulatus, quinquelobus.
Corolla purpureo-rosea. *Tubus* brevissimus. *Limbus* patens, plicatus, calyce triplò major, campanulato-rotatus.
Stamina: *Filamenta* tria, purpurea, corollâ duplò longiora. *Antherae* luteae.
Stylus et *Stigma* purpureum.
Drupa oblonga, pentagona, angulis rugosa, in centro calycis.
*Habitat* affatim in versuris et plateis *Huanuci* urbis.
*Floret* per totum ferè annum. In Reg. Hort. Matrit. floret à Julio ad Novembrem è seminibus missis per nosmetipsos.

# XYRIS. Linn. *Gen. pl. p.* 39.

### character genericus reformatus.

Cal. *Gluma* diphylla: *valvulis* oblongis, carinatis, aequalibus, conniventibus.
Cor. *Petala* tria, longè unguiculata. *Lamina* ovata, plana, patens, integra: *Ungues* angustissimi, lineares, glumae longitudine.
*Nectarium*: *Fila* tria, capillaria, longitudine stigmatum, apice penicilliformia, petalis alternantia.
Stam. *Filamenta* tria, filiformia, apicibus unguium petalorum inserta, erecto-patentia, stigmatibus longiora. *Antherae* erectae, ovatae.
Pist. *Germen* oblongum, superum. *Stylus* filiformis, erectus. *Stigmata* tria, erecto-patentia, obtusa, simplicia.
Per. *Capsula* oblonga, unilocularis, trivalvis.
Sem. nonnulla, oblonga, receptaculo columnari suis pedicellis inserta.

## *XYRIS subulata.* Icon. LXXI. *Fig. b.*

1. X. spica bi-triflorâ, scapo unifloro, foliis subulatis.
Planta herbacea, parva, caespitosa.
Radix fibrosa.

FOLIA disticha, infernè equitantia, subulata, subpollicaria, basi villosa.

SCAPUS unicus ex singula propagine erectus, filiformis, gracilis, ferè bipalmaris, uniflorus, folio unico vaginatus.

SPICA oblonga, imbricata, saepius triflora, aliquando biflora: squamis sex, ovatis, concavis; flosculos duos, saepe tres claudentibus.

COROLLA lutea.

*HABITAT* in altis frigidis *Pillao* locis humidis, stagnatisque.

*FLORET* Augusto, et Septembri.

*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Petala cum staminibus. 3 Fila tria nectarii. 4 Pistillum. 5 Capsula. 6 Eadem aperta. 7 Semina in receptaculo. 8 Semina.

## CYPERUS. LINN. *Gen. pl. p.* 41.

### *CYPERUS* NIGER.

1. C. culmo triquetro nudo glabro, umbellâ foliosâ, pedunculis plurimis longis, spicis laxis nigricantibus.

PLANTA annua.

RADIX fibrosa.

CULMUS triquetrus, glaber.

FOLIA ensiformia, canaliculata, glabra.

UMBELLA foliosa.

PEDUNCULI plurimi, longi, glabri.

SPICAE laxae, nigricantes.

*HABITAT* in inundatis et stagnatis Provinciae *Cercado* et *Chancay*.

*FLORET* Junio, et Julio.

### *CYPERUS* STRIATUS.

2. C. culmo tereti leviter striato retrorsum scabro, foliis subulatis canaliculatis.

RADIX fibrosa.

CULMUS erectus, teres, filiformis, leviter striatus, retrorsum scaber, foliis paulò longior.

FOLIA usque ad medium vaginantia, subulata, canaliculata, infernè margine ciliata.

GLUMAE ovatae, carinatae, atro-purpureae.

SEMEN triquetrum, acuminatum, nitidum.

*HABITAT* in collibus aridis *Tarmae* oppidi.

*FLORET* à Januario ad Martium.

## SCIRPUS. LINN. *Gen. pl. p.* 41.

### *SCIRPUS* FRAGRANS.

1. S. culmo tereti striato nudo, spicis ovatis pedunculatis inaequalibus; terminalibus umbellatis.

PLANTA herbacea, caespitosa.

RADIX fasciculata, fibrosa, capillaris, odoratissima.

CULMUS solitarius, erectus, bipalmaris, simplicissimus, enodis, nudus, filiformis, teres, striatus, pubescens, foliis ferè duplò longior.

FOLIA setacea, hinc plana, sulcata, inde semiteretia, erecta, pubescentia.

SPICAE sex, terminales, pedunculatae, umbellatae, ovatae, inaequales; *intermediae* breviores, rarius divisae, ut plurimum squamis novem compositae.

INVOLUCRUM polyphyllum: *foliolis* setaceis; *exteriori* spiculis duplò longiori.

CALYX: *Spica* ovata, undique imbricata: *squamis* ovatis, carinatis, erectis, flores distinguentibus, purpurascentibus.

COROLLA nulla.

STAMINA: *Filamenta* tria, longitudine germinis. *Antherae* oblongae.

PISTILLUM: *Germen* parvum. *Stylus* filiformis, squamae longitudine. *Stigmata* tria, capillaria.

PERICARPIUM nullum.

SEMEN unicum, triquetrum, supernè crassius, acuminatum, nudum, glabrum.

*HABITAT* in nemorum runcationibus, vernaculè *Carpales* dictis, *Pillao* ad *Iscutunam*.

*FLORET* Septembri, et Octobri.

# DIGYNIA.

## MILIUM. LINN. *Gen. pl. p.* 47.

### *MILIUM* NIGRICANS.

1. M. floribus paniculatis confertis, valvulis calycinis nitidis nigrescentibus, foliis ensiformibus longissimis latis.

RADIX fibrosa.

CULMI plurimi, erecti, biorgyales, teretes, farcti.

FOLIA ensiformia, longissima, lata, plana, nervosa, utrinque glabra, nitidiuscula, margine retrorsum aspero serrulata; *vaginae* convolutae.

PANICULA racemosa, composita, conferta; *pedunculis* cernuis.

GLUMAE uniflorae: sub singulo flosculo fertili *alii duo flosculi* parvi, omnino steriles.

CALYCINAE *Valvulae* nitidae.

SEMEN subrotundum, pallidum; *valvulis* calycinis nigricantibus obvolutum.

*COLITUR* in *Pillao*, *Cuchero* et *Pueblo nuevo*.

*FLORET* Octobri.

*VERNACULE Maiz de Guinea* nomen audit.

*USUS*. E seminibus torrefactis, quae Peruviani *Camcha* appellant, albissimam farinam praeparant, quâ potum *Ullpu* dictum et cibum *Mazamorra* nuncupatum conficiunt.

## PASPALUM. LINN. *Gen. pl. p.* 46.

### *PASPALUM* PURPUREUM.

1. P. culmis infernè divisis, paniculâ oblongâ, spicis linearibus, floribus secundis bifariam imbricatis.

*Milium* (*latifolium*) culmo ramoso, paniculae ramis simplicissimis; floribus cernuis muticis duplici ordine imbricatis. Cavan. *vol. 3. p. 37. tab. 273.*

Planta herbacea, laevis, glabra.

Radix fibrosa, albida.

Culmi numerosi, bi-tripedales, infernè divisi et radicantes, erecti, solidi; geniculis approximatis, purpurascentibus.

Folia alterna, semilanceolata; *vaginae* à geniculo ad geniculum convolutae, ore coarctatae, purpurascentes.

Panicula terminalis, bi-tripalmaris, purpurea, oblonga; composita plurimis *spicis*, sparsis, approximatis, linearibus, breviter pedicellatis, primum erectis, deinde patentibus, tandem strictis.

Flores secundi, duplici serie imbricati, alternantes, subsessiles.

Calyx: *Gluma* uniflora, bivalvis, compressa: *valvulis* oblongis, acuminatis, subaequalibus, purpurascentibus, extus disco rugoso scabris, marginibus involutis.

Corolla: *Gluma* calyce brevior, bivalvis: *valvulis* ferè aequalibus, oblongis, obtusis, membranaceis, nitidis, glabris; *alterâ* latiori, exterius convexâ, interius concavâ, angustiorem planam semiamplexante.

Filamenta tria, capillaria, corollâ longiora. *Antherae* lineares, supernè infernèque bifidae, apice utrinque pollen effundentes.

Pistillum: *Germen* parvum. *Styli* duo. *Stigmata* alba, penicilliformia, longiuscula.

Semen oblongum, nitidum, hinc convexum, inde planum.

*Habitat* in *Peruviae* cultis, et in *Hort. Reg. Matritensi* singulis annis colitur è seminibus missis per nosmetipsos.

*Floret* per totum ferè annum, in locis calidis et maritimis.

*Vernacule Maizillo.*

*Usus*: Haec utilissima planta, quae praestantissimum pabulum belluis suppeditat, inter segetes *Limae*, *Chancay*, *Huamuci* ceterisque locis calidis et maritimis inter Medicam sativam copiosè crescit, ibique ter ad annum metitur; quapropter per Europam ad eosdem usus propagari meretur.

*Obs.* Hoc Genus *Milio* valde affine est, atque adeo in unum idemque haec duo Genera redigi debere, exsistimat Jos. Pavon.

## PANICUM. Linn. *Gen. pl. p.* 46.

### *PANICUM purpureum.*

1. P. spica tereti, involucris 12setis inaequalibus flosculo majoribus unifloris, culmo tereti ramoso.

Planta herbacea.

Culmus erectus, teres, glaber, nitidus, quadripedalis.

Folia alterna, lanceolata, acuta, quinquenervia.

Spica longa, paleaceo-virescens.

Flosculi alterni, breviter pedicellati, uniflori, involucro setaceo cincti.

Gluma trivalvis, mutica: *valvulâ* exteriori duplò minori.

Stigmata purpurea, plumosa, antherarum longitudine.

Semen unicum, oblongum, ferè planum, inclusum.

*Habitat* in praeruptis *Tarmae* ad *Acobamba* vicum.

*Floret* Majo, et Junio.

## BRIZA. Linn. *Gen. pl. p.* 46.

### *BRIZA media.*

1. B. spiculis ovatis, calyce flosculis breviore. Linn. *Sp. pl. p. 194.*

*Habitat* in campis *Tarmae* et argillosis *Regni Chilensis.*

*Floret* Aprili, et Majo.

## MOLLUGO. Linn. *Gen. pl. p.* 58.

### *MOLLUGO radiata.*

1. M. caulibus procumbentibus radiatis, foliis obovatis acuminatis.

Planta herbacea.

Caules plures, ferè duodecim, radiatim positi, procumbentes, spithamaei, inaequales, dichotomi, leviter pubescentes.

Folia opposita, petiolata, obovata cum brevi acumine, integerrima: *nonnulla* ex axillis inaequalia, multo breviora.

Flores axillares, sessiles, conferti, *bracteolis* subulatis distincti.

*Obs. Calycem* clausum semper offendimus.

*Habitat* in inundatis locis *Conceptionis Chile* ad *Mochita* et *Carcamo* terminum.

*Floret* Februario, et Martio.

# CLASSIS IV.

# TETRANDRIA MONOGYNIA.

## SCABIOSA. Linn. *Gen. pl. p. 64.*

*SCABIOSA sympaganthera.* Icon. LXXVI. *Fig. a.*

1. S. corollulis quinquefidis, calyce proprio unico membranaceo, foliis inferioribus spathulato-cuneiformibus supernè laciniatis.

Planta herbacea.

Radix fibrosa.

Caules plures, ferè bipedales, erecti, teretes, obsoletè striati, virgati, supernè in pedunculos nudos foliososque divisi, leviter pilosi.

Folia *inferiora* congesta, spathulato-cuneiformia; *superiora* alterna, distantia, sublanceolata: *omnia* supernè laciniata, margine villoso ciliata.

Capitula solitaria, magna, convexa.

Calyx: *Perianthium commune* multiflorum, monophyllum, multipartitum: *laciniis* lanceolatis, integris laciniatisque, patentibus, inaequalibus.

*Perianthium proprium* unicum, membranaceum, quinquefidum: *laciniis* subrotundis.

Corolla *universalis* aequalis.

Propria infundibuliformis: *Tubus* tenuissimus, viridis: *Limbus* erectus, albus, quinquefidus, aequalis.

Stamina: *Filamenta* quinque, brevissima, fauci corollae inserta. *Antherae* lineares, valde approximatae in cylindrum, corollâ brevius.

Pistillum: *Germen* inferum, propriâ vaginâ tanquam in fundo calycis involutum. *Stylus* filiformis, corollâ longior. *Stigma* oblongum.

Pericarpium nullum.

Semina solitaria, oblonga, involuta, calyce proprio coronata. *Receptaculum commune* convexum, paleaceum; paleis subulatis, rigidis, subspinosis.

*Habitat* in arenosis *Conceptionis Chile* ad *Penco* viam.

*Floret* Novembri, et Decembri.

*Obs.* Calycem exteriorem proprium nullum offendimus.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Stamina. 4 Squama receptaculi.

## ALLIONIA. Linn. *Gen. pl. p.* 65.

*ALLIONIA incarnata.*

1. A. foliis oblique ovato-cordatis; altero majori, calycibus triphyllis.

*Allionia (incarnata)* foliis oblique cordatis, calycibus triphyllis trifloris. *Sp. pl. p. 289.* L'Herit. *fasc. 4. p. 63. tab. 31.*

*Wedelia.* Loefling. *it. 180.*

Planta herbacea.

Radix fusiformis.

Caules plures, prostrati, diffusi, teretes, villosi, saepe purascentes.

Folia opposita, pètiolata, hinc oblique ovata, obtusa, inde oblique cordata, acuta, repanda, utrinque pubescentia, subtus albicantia, crassiuscula, integerrima: alterum quadruplò brevius.

Pedunculi solitarii binique ex singulis axillis foliorum minorum, longitudine folii: alter altero brevior.

Flores incarnati.

Calyx *Perianthium commune* triphyllum, triflorum, trigonum; *foliolis* ovatis, concavis; persistens.

*Perianthium proprium* nullum.

Corolla *universalis* aggregata, triflora, aequalis.

*Propria* intra singulum angulum calycis, tubulosa, germini insidens. *Tubus* angustus, superne sensim ampliatus. *Limbus* erectus, inaequalis, latere exteriori exsertus, obtusè trifidus: *laciniis* bifidis, latere interiore deliquescens.

Stamina: *Filamenta* quatuor, setacea, corollâ breviora. *Antherae* subrotundae.

Pistillum: *Germen* inferum, intus convexum, extus concavum; marginibus inflexis, argutè dentato-serratis. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, subrotundum, simplex.

Pericarpium nullum.

Calyx semina fovens.

Semina solitaria, nuda, oblongo-obovata, intus convexa, extus concava, aucta alis inflexis, argutè dentato-serratis, in cujus centro lineae duae glandularum subrotundarum, parallelae excurrunt.

*Habitat* in arenosis ad *Huanuci* urbem.

*Floret* tempore pluviarum, praesertim Novembri et Decembri.

## CALLICARPA. Linn. *Gen. pl. p. 73.*

*CALLICARPA globiflora.* Icon. LXXVII. *Fig. b.*

1. C. foliis oblongo-lanceolatis dentato-serratis integerrimisque, cymis dichotomis.

Frutex triorgyalis, glaber.

Caulis erectus, ramosus, medullosus, teres.

Rami acute tetragoni, incani, ad articulationes compressi et latiores.

Folia opposita, petiolata, oblongo-lanceolata, acuta, ad basim attenuata, hinc dentato-serrata, inde integerrima, venosissima, magna.

PEDUNCULI axillares, solitarii, foliis triplò breviores.
FLORES cymosi. *Cymae* dichotomae, ferè globosae, cinereae.
PEDICELLI bracteolis subulatis suffulti, ad basim attenuati.
CALYX campanulato-tubulosus; limbo quadrifido, erecto, acuminato; inferus, persistens, cinereus.
COROLLA infundibuliformis, alba. *Tubus* longitudine calycis. *Limbus* quadripartitus; *laciniis* ovatis, patentibus.
STAMINA: *Filamenta* quatuor, filiformia, corollâ longiora. *Antherae* ovatae, incumbentes.
PISTILLUM: *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis. *Stigmata* duo, subulata, longa.
PERICARPIUM: *Bacca* globosa, unilocularis, rubicunda, pisi magnitudine.
SEMINA quatuor, trigona.
*HABITAT* in *Peruviae* nemoribus ad *Chinchao* vicum.
*FLORET* Octobri, et Novembri.
*Obs.* Ad hoc Genus referendae sunt *Manabea villosa, arborescens*, et *laevis*. AUBLET *pag. 61-64-66. pl. 23-24-25.*
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bractea. 2 Eadem scissa cum staminibus. 3 Pistillum. 4 Bacca cum calyce. 5 Eadem secta. 6 Semina.

*CALLICARPA CORDIFOLIA.* ICON. LXXVII. *Fig. a.*

2. *C. foliis cordatis ovatisque acutis integerrimis, cymis brachiatis.*

FRUTEX triorgyalis, hirsutus.
CAULIS erectus, infernè ramosus, teres, medullosus (habitu *Sambuci*).
RAMI patentes, obtuse tetragoni: *teneri* secundum articulationes compressi, densè pubescentes.
FOLIA opposita, petiolata, integerrima, acuta, utrinque hirsuta: *inferiora* cordata; *superiora* ovata.
PEDUNCULI axillares, solitarii, subpatentes, foliis dimidio breviores, multiflori.
FLORES cymosi. *Cymae* brachiatae.
PEDICELLI bracteolis subulatis stipati, infernè angustati.
CALYX: *Perianthium* campanulatum, quadrifidum; *laciniis* ovatis, acutis: inferum, persistens.
COROLLA infundibuliformis, albo-lutescens. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis. *Limbus* quadripartitus; *laciniis* ovatis, obtusis, patentibus.
STAMINA: *Filamenta* quatuor, filiformia, fauci inserta, basi villosa, corollâ longiora. *Antherae* ovatae, simplices, incumbentes.
PISTILLUM: *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis, corollâ duplo longior. *Stigmata* duo, subulata, subpatentia.
PERICARPIUM: *Bacca* obovata, unilocularis, tetrasperma, apice puncto umbilicato notata, aurantii coloris.
SEMINA quatuor, obovato-oblonga, extus rugoso-striata, pulpâ rubicundâ mollissimâ distincta, gibba, cortice calloso vestita.
*HABITAT* in Provinciae *Panatahuarum* nemoribus ad *Muña*.
*FLORET* Junio, Julio et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Pistillum. 4 Bacca cum calyce. 5 Eadem secta. 6 Semina.

## AEGIPHILA. LINN. *Gen. pl. p. 73.*

*AEGIPHILA MULTIFLORA.* ICON. LXXVI. *Fig. b.*

1. *AE. foliis oblongis, floribus axillaribus congestis.*

FRUTEX triorgyalis. (*Corni* habitu).
CAULIS erectus, subcinereus, ramosus, medullosus.
RAMI brachiati, obtusè tetragoni, granulosi, secundum articulationes compressi; *teneri* purpurei, hirsuti.
FOLIA opposita, petiolata, oblongo-obovata, et ovato-lanceolata, acuminata, subtus venosa, lanuginoso-pubescentia, integerrima.
PETIOLI purpurei.
FLORES breviter pedicellati; *axillares* gemini ternique: *alii* ex cicatricularum axillis foliorum anni praecedentis congesti.
CALYX: *Perianthium* campanulatum, fauce leviter coarctatum. *Limbus* planus, quadridentatus: inferum, persistens, pubescens, purpureum.
COROLLA ante explicationem clavata, tandem infundibuliformis, rubro-purpurea. *Tubus* calyce triplo longior. *Limbus* quadripartitus; *laciniis* ovatis, reflexis.
STAMINA: *Filamenta* quatuor, filiformia, fauci corollae inserta, corollâ breviora. *Antherae* incumbentes, oblongo-sagittatae.
PISTILLUM: *Germen* subrotundum, quadrisulcatum. *Stylus* filiformis, contortus, utrinque sulcatus. *Stigmata* duo, acuta, revoluta, contorta.
PERICARPIUM: *Bacca* tetragono-subrotunda, utrinque depressa, tetrasperma, obscurè purpurea.
SEMINA obovata, ossea, trigona, extus gibba, striata, unilocularia. *Nuclei* ejusdem formae.
*HABITAT* in circumviciniâ *Chacllae*, *Huassahuassi*, et *Pillao*, ad fluviorum margines.
*FLORET* Octobri, et Novembri, quo tempore folia etiam explicantur.
*VERNACULE Utcus.*
*USUS*: Lignum durissimum, ex quo stapedas conficiunt.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Stamen. 5 Pistillum.

## SCOPARIA. LINN. *Gen. pl. p. 77.*

*SCOPARIA DULCIS.*

1. S. foliis ternis lanceolato-linearibus, superne serratis, deorsum attenuatis.

*SCOPARIA dulcis.* LINN. *Sp. pl. p. 116.*
PLANTA herbacea, glabra.

Radix fibrosa.
Caulis inferne ramosus, erectus, parum lignosus, tripedalis, hexagonus.
Rami consimiles, virgati.
Folia verticillata, terna, lanceolato-linearia, ultra medium ad apicem serrata, deorsum sensim attenuata.
Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, inferne attenuati.
Calyx quadripartitus.
Corolla parva, alba.
Capsula ovato-conica.
*Habitat* in ripis et arenosis *Limae*, *Chancay* et *Cuchero*.
*Floret* à Majo ad Augustum.
*Vulgo Escobilla.*

## PLANTAGO. Linn. *Gen. pl. p. 77.*

### *PLANTAGO hirsuta.* Icon. LXXVIII. *Fig. a.*

1. P. foliis lanceolato-linearibus trinervibus, denticulis rarissimis, spica ovato-cylindrica.
Planta herbacea, densè hirsuta, incana.
Radix ramosa, fibrillosa.
Scapi tres, quatuor, quinque, axillares, filiformes, teretes, erecti, inaequales, in fructu foliis duplò longiores.
Folia lanceolato-linearia, denticulis 1-4 è medio ad apicem, trinervia, erecta, plana.
Spica ovata, in fructu oblongo-cylindrica.
Bracteae ovatae, acutae, marginibus membranaceis.
Corollae *Limbus* patens, scariosus.
Stamina vix corollae longitudine.
Semina plura.
*Habitat* in collibus *Limae*, *Chancay* et *Tarmae*.
*Floret* Septembri.
*Obs.* Affinis *Plantagini albicanti.*
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Calyx. 4 Corolla cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem aperta. 8 Semina.

### *PLANTAGO hispidula.* Icon. LXXVIII. *Fig. b.*

2. P. acaulis, foliis linearibus integerrimis, scapis longissimis scabris, spicâ oblongâ.
Planta herbacea.
Radix filiformis, fibrillosa.
Scapi plures, erecti, filiformes, teretes, foliis quadruplò longiores, hispiduli, erecti.
Folia linearia, angustissima, subinflexa, integerrima, cinerea, leviter pubescentia.
Spica oblonga, semipollicaris, erecta.
Bracteae ovatae, concavae, marginibus scariosis, pubescentes.
Calyx margine scarioso, pubescens.
Corollae *Limbus* scariosus, reflexus.
Stamina longitudine corollae.
Stylus corollâ longior, villosus.
Capsula ovato-oblonga.
Semina plura.
*Habitat Chile* locis arenosis, in *Conceptionis*, *Puchacay* et *Rere* Provinciis.
*Floret* Novembri, et Decembri.
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Calyx. 4 Corolla cum staminibus. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem aperta. 8 Semina.

### *PLANTAGO sericea.* Icon. LXXIX. *Fig. b.*

3. P. caule decumbente suffruticoso, foliis lineari-subulatis incurvis sericeis, spicâ ovatâ.
Planta caespitosa, tomentoso-sericea.
Radix fusiformis, fibrillis paucissimis, minimis.
Caulis suffruticosus, decumbens, ramosus, dichotomus, post foliorum delapsum per horum vestigia scaber.
Folia congesta, lineari-subulata, integerrima, incurva.
Pedunculi axillares, erecti, filiformes, teretes, tomentosi, incani, tandem glabri, ferruginei, foliis triplò longiores.
Spica ovata, brevis.
Semina solitaria.
*Habitat* in *Peruviae* collibus altis aridis ad *Tarmae* oppidum, et prope *Tarmatambo* Castellum.
*Floret* Majo, et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Calyx. 4 Corolla. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Eadem aperta. 9 Semina.

### *PLANTAGO congesta.* Icon. LXXIX. *Fig. a.*

4. P. caule suffruticoso patenti, foliis lineari-subulatis patulis villosis, spicâ ovato-oblongâ.
Planta suffruticosa, caespitosa, parum villosa.
Radix fibrosa.
Caules plures, patentes, brevissimi, congesti, simplicissimi, undique foliis obvoluti.
Folia congesta, lineari-subulata, integerrima, patula, tandem reflexa.
Pedunculi axillares, longissimi, filiformes, parum inflexi, nudi.
Spica ovato-oblonga.
Bracteae ovatae, concavae.
Calyx margine scarioso.
Corollae *Limbus* scariosus, reflexus.
Stamina corollâ longiora. *Stylus* hirsutus.
Semina duo.
*Habitat* in *Tarmae* Provinciae collibus circa *Huichay*, *Morocamcha* et *Camcham* praedia.
*Floret* Majo, et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Bractea. 2 Flos. 3 Calyx. 4 Corolla. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Eadem aperta. 9 Semina.

## BUDDLEJA. Linn. *Gen. pl. p. 76.*

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* tetragonum, quadrifidum; *laciniis* acutis, erectis: inferum persistens.

Cor. campanulata. *Tubus* tetragonus, longitudine calycis. *Limbus* quadrifidus: *laciniis* ovatis, patentibus, calyce duplò longioribus.

Stam. *Filamenta* quatuor, filiformia, brevissima, infra divisuras corollae tubo inserta. *Antherae* ovatae, parvae, incumbentes.

Pist. *Germen* ovatum, villosum. *Stylus* brevis, utrinque sulcatus, corollâ dimidiò brevior. *Stigma* oblongum, crassiusculum, utrinque lineatum, obsoletè emarginatum.

Per. *Capsula* ovata, bisulca, bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis.

Sem. numerosa, minutissima, oblonga, apice compressa, margine brevissimo, membranaceo cincta, imbricata; *Receptaculo* ovato, fungoso inserta.

### *Habitus.*

*Arbores* aut *Frutices* tomentoso-lanuginosi. *Caulis* erectus aut diffusus. *Rami* obtusè tetragoni, brachiati. *Folia* opposita, venosissima, rugosa. *Stipulae* interfoliaceae, reniformes aut marginales. *Flores* racemoso-paniculati, aut spicato-verticillati, in capitula digesti. *Pedunculi* et *Pedicelli* bracteis suffulti. *Bracteolae* duae sub singulo calyce.

### *BUDDLEJA incana.* Icon. LXXX. *Fig. b.*

1. B. foliis oblongis lanceolatisque crenulatis, stipulis marginalibus, pedunculis ternatim divisis, floribus capitatis.

Arbor sexorgyalis.

Truncus erectus, satis crassus, intortus, cortice scabro obtectus, comâ frondosâ patenti.

Rami brachiati; *teneri* obtusè tetragoni, tomentoso-lanuginosi, cortice lutescente vestiti, subarticulati.

Folia breviter petiolata, oblonga lanceolataque, crenulata, subtus tomentoso-lanuginosa, canescentia, rugosa, supra glaberrima, nervo utrinque striato.

Petioli canaliculati.

Stipulae: *Margines* semicirculares, interfoliaceae.

Racemi terminales, brachiati, subpaniculati, tomentoso-lanuginosi.

Pedunculi ternatim divisi, bracteis linearibus, acutis suffulti.

Flores in capitula globosa, sessiles; *bracteolis* oppositis, subulatis distincti.

Bracteae, *Bracteolae*, et *Calyces* tomentoso-lanuginosi.

Corolla crocea.

*Habitat* in *Peruviae* ripis, in *Cantae*, *Huarocherí*, *Tarmae* et *Huanuci* Provinciis.

*Floret* Majo, et Junio.

*Vernacule Quisuar*, et *Quisoar*.

*Usus*: Lignum satis durum ad varia utensilia perutile.

*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteis duabus. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem aperta. 8 Capsulae valvula anticè visa. 9 Receptacula connexa cum seminibus imbricatis. 10 Receptaculum nudum. 11 Semina.

### *BUDDLEJA globosa.* Icon. LXXXIII. *Fig. a.*

2. B. foliis lanceolato-ovatis acutissimis crenatis, stipulis marginalibus, capitulis globosis.

*Palquin.* Fewill. *Peruv. t. 3. p. 51. planch. 38.*

*¿Buddleja capitata?* Jacquin. *Collect. Vol. 2. p. 332.*

Frutex biorgyalis, tomentoso-lanuginosus, incanus.

Caulis erectus, ramosissimus, teres.

Rami brachiati, obsoletè tetragoni.

Folia breviter petiolata, lanceolato-ovata, acutissima, crenata, supra glabra, patentia, rugosissima.

Stipulae: *Margines* breves, semicirculares.

Pedunculi axillares, solitarii, longi, foliis breviores, erecto-patentes, ultra medium *squamis* duabus, subulatis, oppositis.

Flores plurimi in capitulum globosum; in fructu ovatum, nucis juglandis magnitudine; aliquando Capitula gemella.

Corollae aurantii coloris: *laciniis* subrotundis, reflexis.

*Habitat* in *Regni Chilensis* silvis umbrosis, et in hortis *Conceptionis* urbis.

*Floret* Novembri, et Decembri. In Regio Horto Matritensi, ubi semina perficere nequit, colitur sub dio, et floret mense Majo, et Junio.

*Vernacule Pagnhin*, à Fewille *Palquin.*

*Usus*: Foliorum pulvis ad ulcera cicatricanda inservit.

*Explic. Icon.* 1. Flos cum bracteolis. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Pistillum.

### *BUDDLEJA connata.* Icon. LXXXI. *Fig. b.*

3. B. foliis lanceolatis connatis crenatis, stipulis reniformibus, pedunculis solitariis capitatis.

Planta frutescens.

Caules plures, orgyales, erecti, teretes, parum ramosi.

Rami hexagoni, striati, fragiles, tomentosi, incani.

Folia connata, patentia, lanceolata, acuta, crenata, venosissima, rugosa: subtus tomentosa, incana; supra aspera, absque tomento.

Stipulae interfoliaceae, reniformes, crenatae.

Pedunculi axillares terminalesque, foliorum ferè longitudine, solitarii, angulati, simplicissimi, saepe bifidi.

Bracteae duae, oppositae, lineari-subulatae, patentes, infra florum capitulum.

Flores in capitulum globosum collecti, sessiles; *bracteolis binis* oppositis, subulatis distincti.

Calyx et *Capsula* tomentosa.

Corolla luteo-crocea, fauce villosa.

Stamina longitudine faucis.

STYLUS corollâ brevior.
*HABITAT* in *Chancay* Provinciae segetibus et versuris, ad *Esquibel*, *Retes* et *Torreblanca* praedia.
*FLORET* Decembri, et Januario.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteolis. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4 Stamen. 5 Pistillum.

*BUDDLEJA DIFFUSA.* ICON. LXXX. *Fig. a.*

4. B. foliis ovatis subcordatisque acutis, stipulis reniformibus reflexis, pedunculis axillaribus, floribus capitatis.
PLANTA frutescens, tomentoso-lanuginosa, lutescens.
CAULIS subscandens, ramosissimus, diffusus, teres.
RAMI brachiati, patentes, obsoletè tetragoni, diffusi.
FOLIA breviter petiolata, deflexa, ovata, subcordata ovato-lanceolataque, acuta, integerrima, nonnulla uno alterove denticulo notata, supra pubescentia, venosa, per petiolum decurrentia, rugosa.
STIPULAE interfoliaceae, reniformes, marginibus reflexis, persistentes.
PEDUNCULI axillares terminalesque, solitarii, gemini ternique, quorum *duo tres*ve breves, simplices; *reliqui* longi, racemosi, foliosi. *Pedicelli* teretes.
FLORES capitati, sessiles, totidem *bracteolis* linearibus distincti.
COROLLA lutea. *Faux* villosa. *Limbus* reflexus.
SEMINA pauca ad maturitatem perveniunt.
*HABITAT* in circuitu *Huanuci* ad agrorum margines.
*FLORET* per totum ferè annum.
*VERNACULE Quisoar.*
*Explic. Icon.* 1 Flos, cui bracteolae subjectae. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum. 6 Capsula.

*BUDDLEJA AMERICANA.* ICON. LXXXII. *Fig. b.*

5. B. foliis ovato-lanceolatis serratis, stipulis subreniformibus revolutis, racemis compositis subpaniculatis.
*BUDDLEJA* (*americana*) foliis ovatis. LINN. *Sp. pl. p. 317.*
*VERBASCI* folio minore arbor, floribus spicatis luteis. SLOAN. *Jam. 139. hist. 2. p. 29. t. 173.*
PLANTA frutescens, ferè biorgyalis, tomentoso-lanuginosa, incana.
CAULIS erectus, ramosissimus, obtusè tetragonus, cortice lutescente vestitus.
RAMI brachiati, obtusè tetragoni, secundum articulationes compressi.
FOLIA breviter petiolata, ovato-lanceolata, serrata; *majora* duplicato-serrata; *adultiora* supernè glabra, venosissima, venis approximatis.
STIPULAE interfoliaceae, breves, subreniformes, revolutae, integerrimae, rugosae.
RACEMI terminales, maximi, paniculati, plurimis spicis compositi.
PEDUNCULI communes et partiales *bracteis* linearibus stipati.
FLORES verticillati, sessiles; *bracteolis* subulatis distincti.
BRACTEOLAE duae sub singulo calyce, subulatae.
COROLLA lutea, tetragona, fauce hirsuta, extus tomentosa.
*HABITAT* in *Muña* runcationibus, vernaculè *Carpales* dictis.
*FLORET* à Junio ad Septembrem.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteolis. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Stamen auctum. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Eadem aperta. 9 Semina.

*BUDDLEJA OCCIDENTALIS.* ICON. LXXXII. *Fig. a.*

6. B. foliis lanceolatis acutis serratis integerrimisque, stipulis obsoletis, floribus paniculatis, spicis verticillatis.
*BUDDLEJA occidentalis* foliis lanceolatis. LINN. *Sp. pl. p. 317.*
PLANTA frutescens, biorgyalis, tomentoso-lanuginosa, subferruginea.
CAULIS erectus, ramosus, teres.
RAMI brachiati, obsoletè tetragoni.
FOLIA petiolata, lanceolata, acuta, è medio ferè ad apicem serrata, saepe integerrima, patentia, venosissima, supernè glabra, apice obliquo integerrimo.
STIPULAE nullae, nisi *Margines* semicirculares.
RACEMI terminales, subpaniculati, compositi plurimis spicis brachiatis.
PEDUNCULI et *Pedicelli* bracteis lineari-lanceolatis stipati.
FLORES verticillati, congesti, sessiles, *bracteolis* subulatis distincti: *Verticilli* approximati.
BRACTEOLAE duae sub singulo calyce, subulatae.
COROLLA lutea.
*HABITAT* in circuitu *Limae* et *Chancay*, ad Margines fluviorum *Rimac* et *Pasamayo.*
*FLORET* per totum ferè annum.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteolis. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Stamen auctum. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Eadem aperta. 9 Semina.

*BUDDLEJA SPICATA.* ICON. LXXXI. *Fig. a.*

7. B. foliis ovatis utrinque acutis serratis, stipulis marginalibus, spicis longissimis simplicibus.
PLANTA frutescens, triulnaris, tomentoso-lanuginosa, albicans.
CAULIS erectus, ramosus, obtusè tetragonus, cortice lutescente vestitus.
RAMI brachiati, consimiles, secundùm articulationes compressi.
FOLIA petiolata, ovata, utrinque acuta, serrata; *majora* duplicato-serrata, venosa, venis alternis, distantibus.
STIPULAE nullae, nisi leves *Margines* interfoliaceae semicirculares.

Spicae axillares terminalesque, solitariae, longissimae, pedales et ultra, simplices.
Flores verticillati, congesti, sessiles, totidem *bracteolis* subulatis distincti.
Corolla lutea, tetraquetra, quadrifida, extus tomentosa, fauce hirsutâ.
*Habitat* abundè in versuris et aridis *Muña*.
*Floret* Julio, Augusto et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteolis. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Stamen auctum. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Eadem aperta. 9 Semina.

## PALTORIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 13. Icon. XXXIII.

### *PALTORIA ovalis.* Icon. LXXXIV. *Fig. b.*

1. P. foliis ovalibus crenatis, pedunculis subtrifloris.
Frutex biorgyalis, ramosissimus.
Caulis erectus, teres.
Rami *teneri* angulosi, confertissimi, subverticillati.
Folia sparsa, conferta, ovalia, crenata, breviter petiolata, obtusa, supra nitida: nonnulla oblongo-obovata.
Flores axillares.
Pedunculi solitarii, bi-triflori, pubescentes, ad medium *bracteolis duabus* minimis, nigris, ovatis.
Corolla alba.
*Habitat* in montibus altissimis, *Andium* dictis, Provinciae *Tarmae* ad *Churupallana* et *Siusa*.
*Floret* Novembri, et Decembri.
*Vernacule Quinti.*
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem postice visa. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Bacca. 8 Eadem per medium secta. 9 Semina.

## CONDALIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 11. Icon. II.

### *CONDALIA repens.* Icon. LXXXIV. *Fig. a.*

1. C. foliis ovatis acutis, caule repente, pedunculis tri-multifloris umbellatis.
Planta herbacea, glabra pubescensque.
Caules plures, ramosi, repentes, teretes, pedales; *teneri* nitidi, purpurascentes.
Folia opposita, ovata, acuta, petiolata, venoso-lineata, nitida, patentia, plana, pubescentia, integerrima.
Stipulae interfoliaceae, erectae, oppositae, subulatae.
Pedunculi axillares, alternantes, solitarii, foliis duplò breviores, tri-multiflori.
Flores breviter pedicellati, umbellati, totidem *bracteolis* subulatis suffulti.
Calycis laciniae subulatae.
Corolla purpurascens.
Antherae oblongae.
Stylus longitudine staminum.
Bacca caerulea, ovata.
Semina ferruginea, orbiculata, plana.
*Habitat* in nemoribus *Panatahuarum* ad *Pillao*, *Cuchero* et *Chinchao* vicos.
*Floret* à Julio ad Octobrem.
*Obs.* Plantae, quae in locis aridis crescunt, folia proferunt per margines tantum pubescentia: caulem et reliquas partes omnino glabras.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Bacca. 8 Eadem transversim secta. 9 Receptacula cum seminibus. 10 Semina.

### *CONDALIA sessilis.*

2. C. foliis oblongis acutis, floribus sessilibus congestis axillaribus.
Planta suffruticosa, tripedalis.
Caulis erectus, teres, vix ramosus.
Folia opposita, oblonga, petiolata, integerrima, supra nitida, parum obliqua, aliquando oblongo-obovata.
Stipulae interfoliaceae, ovatae, acutae, deciduae.
Flores axillares, aggregati, sessiles.
Corolla purpurascens.
Bacca purpurea, ovata.
Semina minutissima, fulvescentia.
*Habitat* in *Chinchao* nemoribus, per runcationes et tramites.
*Floret* Augusto, et Septembri.

### *CONDALIA obovata.*

3. C. foliis obovatis acuminatis, pedunculis aggregatis, floribus racemosis.
Planta suffruticosa, tripedalis.
Caulis erectus, teres, parum ramosus.
Folia opposita, petiolata, obversè ovata, cum parvo acumine, integerrima, utrinque glabra.
Petioli purpurei.
Stipulae interfoliaceae, ovatae, acutae, deciduae.
Pedunculi sex-octo ex singulâ axillâ, inaequales, pubescentes.
Flores racemosi.
Corolla albo-viridis.
Baccae purpureae.
*Habitat* in nemoribus *Andium* ad *Chinchao* montes.
*Floret* Augusto, et Septembri.

### *CONDALIA lanceolata.*

4. C. foliis lanceolatis integerrimis, caule radicante, pedunculis multifloris.
Planta herbacea, tota densè pubescens.
Radix fibrosa.
Caulis radicans, succosus, fragilis, teres, ramosus.

Rami consimiles.
Folia opposita, petiolata, lanceolata, acuta, integerrima.
Stipulae interfoliaceae, subulatae, persistentes.
Pedunculi ex alterâ axillâ, solitarii, multiflori.
Flores congesti, sessiles, *bracteolis* lanceolatis distincti.
Calyx superus, quadripartitus: *laciniis* lanceolatis, erectis, persistentibus.
Corolla albo-violacea, infundibuliformis. *Tubus* longitudine calycis. *Faux* inflata. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* lanceolatis, patentibus.
Stamina: *Filamenta* quatuor, brevissima, fauci inserta. *Antherae* lineares, basi bifidae.
Pistillum: *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, staminibus longior. *Stigmata* duo, revoluta.
Pericarpium: *Bacca* caerulea, ovato-oblonga, calyce coronata, bilocularis, spongiosa, cava.
Semina plurima, orbiculato-angulosa, à pulpa libera: *receptaculo* dissepimento utrinque adnato affixa.
*Habitat* in nemoribus *Cuchero* et *Chinchao* locis umbrosis.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.

## OHIGGINSIA.

### CHARACTER GENERICUS.

Cal. *Perianthium* quadridentatum: *denticulis* acutis, brevibus; superum, persistens.
Cor. infundibuliformis. *Tubus* brevis. *Limbus* quadripartitus, patens: *laciniis* lanceolatis.
Stam. *Filamenta* quatuor, brevissima, linearia, plana, fauci inserta. *Antherae* lineares, basi bifidae, biloculares, incumbentes.
Pist. *Germen* oblongum, obtusè tetragonum. *Stylus* filiformis, corollae longitudine. *Stigmata* duo, oblonga, exserta.
Per. *Bacca* oblonga, obtusè tetragona, bisulca, calyce coronata, umbilicata, bilocularis. *Dissepimentum* contrarium.
Sem. numerosa, minima, oblonga. *Receptaculum* dissepimento utrinque adnatum, bialatum; alis brevibus.

### CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cor. infundibuliformis; limbo quadripartito. *Cal.* quadridentatus. *Bacca* bilocularis, bisulca, umbilicata, polysperma.
*Obs.* Genus *Bertierae* et *Hameliae* affine.
*Genus dicatum* Ex.mo D. D. Ambrosio O-Higgins, de Vallenar, Ossorno Marchioni, in Peruviani Regni Proregi, *viro apprime erudito, qui cum esset Chilensi Regno Praefectus ad Araucanorum fines, summâ nos humanitate, et liberalissimis officiis prosequutus est, et itinera Botanica instituentes comitatus.*

### *Habitus.*

*Plantae* fruticosae. *Caules* erecti, obtusè tetragoni. *Folia* opposita aut verticillata. *Petiolus* et *Nervus* subtus utrinque sulcatus. *Stipulae* interfoliaceae. *Pedunculi* axillares, aggregati, aut solitarii, multiflori.

### *OHIGGINSIA aggregata.* Icon. LXXXIII. *Fig. b.*

1. O. foliis oppositis lanceolatis, pedunculis aggregatis verticillatis.

Planta fruticosa, tripedalis, glabra.
Caulis erectus, parum ramosus, obtusè tetragonus.
Rami consimiles.
Folia opposita, patentia, petiolata, lanceolata, integerrima, venosa.
Petiolus et *Nervus* subtus utrinque sulcati.
Stipulae interfoliaceae, parvae, ovatae, acutae, caducae.
Pedunculi axillares, aggregati, in verticillos digesti, breves, inaequales, uniflori, ferè quatuordecim ex singula axilla.
Flores patentes.
Calyx parvus, quadridentatus.
Corolla purpureo-lutescens.
Pistillum: *Germen* inferum. *Stylus* filiformis. *Stigmata* quatuor, acuta, longitudine ferè corollae.
Pericarpium: *Bacca* ovalis subrotundaque, obsoletè tetragona, quadrilocularis.
Semina oblonga, numerosa, minima: *Receptacula* quatuor, dissepimento adnata.
*Obs.* Numerus Stigmatum et Baccae loculamentorum quaternus, quibus notis à *O. verticillatâ* et *obovatâ* dissentit, ceteris autem notis genericis et habitu convenit. Rarissimos Flores pentandros offendimus, qui numerum retinebant in reliquis fructificationis partibus.
*Habitat* in nemoribus *Cuchero*, *Chinchao* et *Muña*.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Corolla scissa cum staminibus. 2 Stamina aucta. 3 Pistillum cum calyce. 4 Bacca. 5 Eadem per medium secta. 6 Semina.

### *OHIGGINSIA verticillata.* Icon. LXXXV. *Fig. a.*

2. O. foliis ternis lanceolatis, pedunculis solitariis dependentibus subquadrifloris.

Planta fruticosa, tripedalis.
Caulis erectus, parum ramosus, obtusè tetragonus.
Rami teretes, scabri, superne tomentosi.
Folia verticillato-terna, petiolata, lanceolata, integerrima, supra nitida, subtus leviter pubescentia, venosissima, deflexa.
Petioli et *Nervi* subtus utrinque sulcati.
Stipulae tres, interfoliaceae, minimae, denticuliformes, supra sulcatae, deciduae.
Pedunculi axillares, solitarii, filiformes, foliis dimidio breviores, tri-quinqueflori, rarius septemflori, purpurei, ad basim foliosi, dependentes.
Flores pedicellati, alterni.
Calyx purpureus.
Corolla punicea. *Tubus* tetragonus, calyce longior.

Baccae albo-purpurascentes, oblongae, tetragonae, biloculares.
*Habitat* in *Muña* nemoribus per runcationes, vernaculè *Carpales* dictas.
*Floret* Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx cum pistillo. 3 Corolla. 4 Eadem scissa cum staminibus. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta. 7 Semina.

*OHIGGINSIA obovata.* Icon. LXXXV. *Fig. b.*

3. O. foliis oppositis obovatis acuminatis, pedunculis aggregatis multifloris inaequalibus.
Planta fruticosa, quadripedalis.
Caulis erectus, obtusè tetragonus, parum ramosus.
Rami consimiles.
Folia opposita, petiolata, patentia, lata, obovata, acuminata, integerrima, venosissima, utrinque glabra: nonnulla oblonga.
Petiolus et *Nervus* subtus utrinque sulcati.
Stipulae interfoliaceae, minimae, ovatae, caducae.
Pedunculi axillares, 4 ad 7 aggregati, inaequales, patentes, petiolorum ferè longitudine, multiflori, purpurei.
Flores breviter pedicellati, secundi.
Calyx minimus, quadridentatus.
Corolla incarnata. *Tubus* brevis. *Limbus* patens.
Baccae oblongae, purpureae.
*Habitat* in umbrosis locis *Muña*.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla. 3 Eadem scissa cum staminibus, 4 Pistillum cum calyce. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta. 7 Semina.

## GONZALAGUNIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 12. Icon. III.

*GONZALAGUNIA. dependens.* Icon. LXXXVI. *Fig. a.*

1. G. foliis ovatis-acutis, ramis dependentibus.
Frutex biorgyalis, incanus.
Caulis erectus, ramosus, secundùm articulationes compressus.
Rami dependentes, tetragoni, lanuginosi, longissimi.
Folia opposita, petiolata, ovata, acuta, obsoletè crenata, subtus lanuginosa; supra rugosa, nitida, glabra.
Stipulae interfoliaceae, oppositae, subulatae, persistentes.
Racemi terminales, longissimi, lanuginosi, ad basim squamis subulatis, sparsis.
Pedunculi recurvi, bi-quadriflori, breves.
Pedicelli *bracteolis* subulatis, persistentibus suffulti.
Calyx lanuginosus.
Corolla purpureo-rosacea, lanuginosa.
Baccae nigrae, utrinque depressae, lanuginosae.
Cocculae fulvescentes.
Semina fusca.
*Habitat* in *Chinchao* nemoribus, ad *Pati* praedium.
*Floret* Augusto, et Septembri.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum cum calyce. 4 Bacca. 5 Eadem transversim secta. 6 Cocculae. 7 Coccula transversim secta. 8 Semina.

## HEDYOTIS. Linn. *Gen. pl. p.* 66.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* monophyllum, quadripartitum: *laciniis* lanceolatis, erectis: superum, persistens.
Cor. infundibuliformis. *Tubus* oblongus, calyce longior. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* ovato-lanceolatis, patentibus, aequalibus.
Stam. *Filamenta* quatuor, brevia, filiformia, erecta, tubo infra incisuras inserta. *Antherae* oblongae, incumbentes.
Pist. *Germen* obcordatum. *Stylus* filiformis, longitudine ferè staminum. *Stigmata* duo.
Per. *Capsula* obcordata, didyma, calyce coronata, bilocularis, bivalvis; apice rimâ transversali dehiscens, *valvulis* bifidis. *Dissepimentum* contrarium.
Sem. pauca, oblonga, hinc convexa, inde concava, angulata. *Receptaculum* oblongum, dissepimento utrinque adnatum.
*Obs.* Calyx in fructu semiinferus.

*Habitus.*

*Plantae* fruticosae aut herbaceae. *Caulis* erectus vel procumbens, ramosissimus, tetragonus aut teres. *Rami* confertissimi. *Folia* opposita. *Stipulae* interfoliaceae. *Pedunculi* terminales, solitarii, terni, quaterni, uni-quinqueflori.

*HEDYOTIS thymifolia.* Icon. LXXXVIII. *Fig. a.*

1. H. foliis linearibus, marginibus revolutis, floribus corymbosis.
Planta fruticosa, bipedalis.
Radix ramosa.
Caulis erectus, teres, infernè nudus, ramosissimus.
Rami erecti, obtusè tetragoni, hispiduli.
Folia sessilia, linearia, marginibus revolutis, glabra.
Stipulae duae, interfoliaceae, bipartitae; *laciniis* dentiformibus, adpressis.
Flores terminales, corymbosi.
Pedunculi bi-quinqueflori.
Corolla alba.
Capsula obcordata, bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis.
Semina nigra, octo in singulo loculamento.
*Habitat* in collibus altis *Tarmae* et *Caxatambo* Provinciarum.
*Floret* Aprili, Majo et Junio.
*Explic. Icon.* 1 Calyx. 2 Capsula cum calyce. 3 Capsula aperta. 4 Semina.

*HEDYOTIS setosa.* Icon. LXXXVIII. *Fig. b.*

2. H. foliis ovatis acutis cum acumine petiolatis, floribus terminalibus ternis.

Planta fruticosa, quadripedalis.

Caulis erectus, ramosissimus, teres.

Rami confertissimi, vaginulis stipularum veluti articulati.

Folia breviter petiolata, ovata, acuta, cum acumine minimo, obsoletè serrulata, glabra, subtus bilineata, coriacea.

Stipulae interfoliaceae, membranaceae, connatae, ovatae, acutae, supernè multisetae.

Pedunculi terminales, terni, aliquando quaterni, uniflori, breves.

Flores erecti.

Corolla purpurea.

Capsula bilocularis, bivalvis; *valvulis* bifidis.

Semina nigra.

*Habitat* in *Andium* montibus ad *Churupallana* et *Huassahuassi* tractus.

*Floret* Novembri, et Decembri.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce aperta. 7 Semina. 8 Folium auctum. 9 Stipula aucta.

*HEDYOTIS filiformis.* Icon. LXXXVII. *Fig. b.*

3. H. foliis linearibus acuminatis, caule ramosissimo filiformi repente, floribus solitariis terminalibus.

Planta herbacea, depressa, diffusa, (habitu *Galii*).

Caulis ramosissimus, filiformis, tetragonus, repens.

Rami consimiles.

Folia sessilia, linearia, setâ terminata, integerrima, leviter ciliata, subtus striata.

Stipulae interfoliaceae, subulatae, ciliatae.

Pedunculi terminales, solitarii, uniflori.

Corolla alba. *Limbus* patens, tandem reflexus.

Stamina quatuor, corollae longitudine.

Semina orbiculata, angulata, nigra.

*Habitat* in montibus frigidis *Pillao* ad *Torrehuassi*, *Sillcai*, *Saria* et *Achapatumam*.

*Floret* Junio, et Julio.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem scissa. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce. 7 Eadem aperta. 8 Semina. 9 Folium auctum. 10 Stipula aucta.

*HEDYOTIS conferta.* Icon. LXXXVII. *Fig. a.*

4. H. foliis linearibus acuminatis, caule ramosissimo repente, floribus terminalibus solitariis.

Planta suffruticosa.

Caulis ramosissimus, tetragonus, repens.

Rami confertissimi, obtusè tetragoni, repentes: *teneri* ad coelum spectantes.

Folia connato-vaginantia, confertissima, parva, linearia, acuminata, glabra, plana, integerrima.

Stipulae interfoliaceae, oppositae, subulatae.

Pedunculi terminales, solitarii, uniflori.

Corolla alba.

Antherae faucem claudentes, oblongae.

Capsula globosa, emarginata.

Semina subrotunda, nigra, angulata.

*Habitat* in alpibus *Cantae* et *Tarmae* ad *Hacaybamba* et *Collquihirca*; et in *Collis Fodinâ*, vulgò *Mineral* del *Cerro* de *Yauricocha*. Ubi centum Argenti Minerae molendina exercentur.

*Floret* Aprili, et Majo.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum cum calyce. 6 Capsula cum calyce. 7 Eadem aperta. 8 Semina. 9 Folium auctum. 10 Stipula aucta.

*HEDYOTIS juniperifolia.* Icon. LXXXVII. *Fig. c.*

5. H. foliis linearibus margine revolutis, caule ramosissimo, floribus terminalibus ternis.

Planta suffruticosa, procumbens.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caules plures, semipedales, ramosissimi, tetragoni.

Rami consimiles, conferti.

Folia linearia, parva, (*Juniperi* foliis similia) glabra, marginibus revolutis.

Stipuleae duae, interfoliaceae, ovatae, acutae.

Pedunculi terminales, triflori.

Semina oblonga, angulata, nigra.

*Habitat* in *Tarmae* et *Cantae* altis frigidis, vernaculè *Punas* dictis, versus *Palcamayo*, *Casacamcha* et *Lauricocha*, ex qua lacu *Marañon fluvius* efluit.

*Floret* Martio, et Aprili.

*Explic. Icon.* 1 Capsula cum calyce. 2 Eadem aperta. 3 Capsula à calyce libera, aperta. 4 Semina. 5 Folium auctum posticè visum.

## OLDENLANDIA. Linn. *Gen. pl. p.* 83.

*OLDENLANDIA uniflora.*

1. O. fructibus hispidis, pedunculis unifloris, caule repentè, foliis ovatis.

*Oldenlandia* (*uniflora*) pedunculis simplicissimis lateralibus, fructibus hirtis, foliis subovatis acutis. Linn. *Sp. pl. p. 337.*

Planta herbacea.

Caules plures, ramosissimi, repentes, filiformes, conferti.

Rami consimiles, oppositi.

Folia subpetiolata, ovata, integerrima, nitida, glabra.

Petioli connati.

Pedunculi solitarii, uniflori.

Calyces, *Germina Capsulae*que hirsutae.

Faux corollae barbata.

Semen unicum in singulo loculamento.

*Habitat* in *Regni Chilensis* locis humidis et scaturiginibus prope *Conceptionis* urbem, ad *Nonguen*, *Andalien* et *Palomares* tractus.
*Floret* Februario, et Martio.

## MANETTIA. Linn. *Gen. pl. p. 75.*

### character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* 4-5partitum: *laciniis* lanceolato-subulatis, patentibus; superum, persistens.
Cor. infundibuliformis, calyce duplò longior. *Tubus* cylindricus, basi clavatus. *Faux* barbâ clausa. *Limbus* quadri-quinquepartitus; *laciniis* lanceolatis, reflexis.
Stam. *Filamenta* 4-5, brevissima, subulata, medio tubi inserta, hirsuta. *Antherae* lineares, erectae, basi bifidae, inclusae.
Pist. *Germen* obovatum, inferum. *Stylus* filiformis, longitudine tubi. *Stigma* bifidum: *laciniis* obtusis.
Per. *Capsula* oblongo-obovata, didyma, compressiuscula, 8-10nervis, bilocularis, bivalvis: *valvulis* duplicatis, bifidis. *Dissepimentum* contrarium.
Sem. numerosa, minima, orbiculata, plana, compressa, alâ membranaceâ, inaequaliter crenato-dentatâ cincta, receptaculo oblongo, dissepimento utrinque adnato imbricata.
*Obs.* 1. Plantae *Portlandiis* nimis affines, et praesertim calyce, pericarpio, seminibus et receptaculis. Differunt *Portlandiae* à *Manettiis corollâ* ad medium quinquepartitâ, limbo magno; *filamentis* ad basim corollae insertis, longitudine tubi; *antheris* longissimis, exsertis, stigmate lineari, leviter bifido.
*Obs.* 2. Ad hoc Genus referenda est *Nacibea Aublet Guyan. tab.* 37. quod jam fecit Schreberus in suis Generibus plantarum. *Nectarium* Manettiae, sive *Margo* receptaculum ambiens, nihil aliud esse videtur, quàm vestigium corollae: *Capsula* verè bilocularis.

### *Habitus.*

*Plantae* volubiles, aut scandentes. *Caules* ramosissimi, teretes. *Folia* opposita, petiolata, integerrima. *Stipulae* interfoliaceae cum petiolis in vaginam connatae. *Pedunculi* axillares, solitarii, uni-multiflori, bracteati.

### *MANETTIA umbellata.* Icon. XC. *Fig. a.*

1. M. foliis ovatis subcordatisque, stipulis connatis acuminatis, pedunculis umbellatis multifloris.
Planta scandens, glabra, nitida.
Caulis ramosus, scandens, teres, nitidus.
Rami consimiles.
Folia petiolata, ovata subcordataque, deflexa, integerrima, supra nitida: *alia* acuta; *alia* acuminata.
Stipulae interfoliaceae, cum petiolis connatae, acuminatae, adpressae, persistentes.
Pedunculi axillares, umbellati, involucrati.
Umbella multiflora.
Involucrum bi-quadriphyllum: *foliolis* lanceolatis, connatis.
Calyx superus, quadripartitus: *laciniis* lanceolatis.
Corolla caerulea. *Limbus* quadripartitus. *Faux Limbus*que barbatus.
Stamina quatuor.
Stigma exsertum.
Capsulae glaucae, obovatae, didymae, biloculares, apice bivalves.
Semina compressa, alâ membranaceâ cincta, minima: *Receptaculo* oblongo, dissepimento contrario, utrinque adnato, imbricata.
*Habitat* in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* vicum.
*Floret* Septembri, et Octobri.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus scissa. 4Pistillum. 5Capsula cum calyce. 6Eadem aperta. 7 Semen.

### *MANETTIA racemosa.* Icon. LXXXIX. *Fig. a.*

2. M. foliis ovatis oblongisque acuminatis, stipulis semicircularibus, pedunculis bi-multifloris.
Planta volubilis, pubescens.
Caulis bi-quadriulnaris, teres, ramosus.
Rami tetragoni, longissimi.
Folia petiolata, ovata oblongaque, acuminata, integerrima, venosa, secunda.
Petioli foliis duplò breviores.
Stipulae interfoliaceae, cum petiolis connatae, semicirculares, acuminatae, adpressae, ciliatae, persistentes.
Pedunculi axillares, 2-12flori, racemosi.
Pedicelli bracteolis lineari-subulatis, oppositis sustentati.
Calyx 4-5partitus, saepe 8-10partitus.
Corolla purpurascens, hirsuta.
Capsula ovalis, pubescens.
*Habitat* in nemoribus *Cuchero* et *Chinchao*, ad *Cassape*, *Macora*, *Marimarchahua* et *Hualqui* praedia.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Obs.* Calyx plerumque quadri quinquepartitus, saepe octo-decempartitus: numerus frequens quinarius in calyce, corollâ et staminibus.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2Corolla cum staminibus scissa. 3Pistillum. 4 Capsulae dimidia pars cum receptaculo aperta. 5 Semen. 6 Semen auctum.

### *MANETTIA acutifolia.* Icon. LXXXIX. *Fig. b.*

3. M. foliis lanceolatis acutissimis, stipulis connatis acuminatis, pedunculis uni-trifloris.
Planta volubilis, glabra.
Caulis ramosissimus, teres.
Rami filiformes.
Folia petiolata, lanceolata, acutissima, integerrima.
Stipulae interfoliaceae, connatae cum petiolis in vaginae formam, acuminatae.

Pedunculi axillares, solitarii, uni-triflori, involucrati bracteâ vaginante, bifidâ, acutâ.
Calyx quadridentatus, acutus.
Corolla purpurea, quadrifida, ferè hypocrateriformis, extus fauceque villosa.
Stamina: *Filamenta* quatuor, brevissima, fauci inserta. *Antherae* lineares, corollâ breviores, erectae.
Stigma bilobum, antherarum longitudine.
Capsula bilocularis, bivalvis: *valvulis* duplicatis, bifidis.
Semina orbiculata, compressa, margine membranaceo cincta.
*Habitat* in Provinciae *Panatahuarum* nemoribus inter *Acomayo* vicum et *Pati* praedium.
*Floret* Junio, Julio et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Corolla cum staminibus scissa. 3 Pistillum. 4 Capsula aperta. 5 Semen. 6 Semen auctum.

## GALIUM. Linn. *Gen. pl. p.* 69.

### *GALIUM hirsutum.*

1. G. foliis quaternis lanceolatis aequalibus, caule ramosissimo, pedunculis unifloris, fructibus scabris.
Planta herbacea, hirsuta, procumbens.
Caules plures, diffusi, ramosissimi, tetrangulares, pedales.
Rami consimiles, filiformes.
Folia quaterna, approximata, sessilia, lanceolata, integerrima, aequalia, reflexa, parva.
Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, breves.
Involucra tetraphylla.
Baccae parvae, scabrae.
*Habitat* in *Cantae* Provinciae umbrosis ad *Culluay* et *Obrajillo* vicos.
*Floret* Majo, et Junio.

### *GALIUM corymbosum.*

2. G. foliis quaternis lanceolato-oblongis ciliatis, ramulis corymbosis, pedunculis unifloris, fructibus glabris.
Planta herbacea, pumila.
Radix fibrosa.
Caulis filiformis, tenuissimus, ad genicula ramosus, repens.
Rami alternantes, erecti, pollicares, ramosi: *Ramuli* oppositi, in corymbum ferè digesti, supernè dichotomi, tetragoni.
Folia quaterna, sessilia, approximata, lanceolato-oblonga, integerrima, obsoletè ciliata, utrinque glabra.
Involucra tetraphylla.
Flores terminales, solitarii, breviter pedunculati.
Baccae glabrae.
*Habitat* in alpibus *Tarmae* ad *Bombom*.
*Floret* Martio, et Aprili.
*Obs.* Radices, et Caules post desiccationem inter papyros adservati, rubro colore eas tingunt.

### *GALIUM ciliatum.*

3. G. foliis quaternis lanceolatis ciliatis aequalibus reflexis, pedunculis tetraphyllis unifloris, fructibus glabris.
Planta herbacea, glabra.
Radix ramosa, fibrillosa, rubra.
Caules ramosissimi, procumbentes, diffusi, tetragoni.
Rami consimiles, alternantes.
Folia quaterna, subpetiolata, reflexa, lanceolata, integerrima, ciliata, aequalia, setâ terminata.
Pedunculi axillares, solitarii, alterni oppositique, uniflori, filiformes, tetraphylli.
Corolla alba, rotata; *laciniis* acutis, apice purpureis, setâ unâ alterâve terminatis.
Baccae nutantes.
*Habitat* in collibus aridis *Tarmae*, *Chancay*, et *Cheuchin*.
*Floret* Januario, Februario et Martio.

### *GALIUM ovale.*

4. G. foliis quaternis oblongo-ovalibus acuminatis aequalibus, caule diffuso, pedunculis unifloris, fructibus glabris.
Planta herbacea, hirsuta, scandens.
Caulis diffusus, filiformis, ramosus, hirsutus, tetragonus, scaber.
Rami alterni, consimiles.
Folia quaterna, brevissimè petiolata, oblongo-ovalia, acuminata, venosa, integerrima, aequalia, patentia, tandem reflexa: *floralia* quaterna, patentia.
Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, filiformes, foliis paulò breviores.
Corolla alba, parva.
Baccae cernuae, glabrae, rubrae.
*Habitat* in versuris et ruderatis *Chancay*, *Huanuci* et *Limae* ad *Surco* viam.
*Floret* Februario, et Martio.

### *GALIUM lappaceum.*

5. G. foliis quaternis hispidis oblongis acuminatis, pedunculis unifloris, fructibus lappaceis.
Planta herbacea, subscandens.
Caulis ramosissimus, tetragonus.
Rami consimiles, villosi, oppositi, superne dichotomi; *terminales* terni.
Folia quaterna, breviter petiolata, oblonga, saepe oblongo-obovata, acuminata, utrinque hispida, integerrima; *superiora* quadruplò minora; *terminalia* terna, oblongo-lanceolata.
Pedunculi axillares, solitarii, uniflori.
Baccae duae, lappaceae; altera aliquando abortit.
*Habitat* in circuitu *Huanuci* urbis ad *Puelles* collem.
*Floret* Majo, et Aprili.

### *GALIUM croceum.*

6. G. foliis quaternis linearibus ciliatis subtus scabriusculis, pedunculis unifloris, fructibus glabris rubris.
Planta herbacea.
Caulis prostratus, ramosus.
Rami palmares, debiles, tetragoni.
Folia quaterna, linearia, nitida, ciliata, subtus scabriuscula.

Pedunculi axillares, oppositi, breves, uniflori.
Involucrum tetraphyllum.
Corolla quadrifida, rarius trifida.
Baccae glabrae, rubro-croceae.
*Habitat* in declivibus aridis *Tarmae* oppidi, et *Huanuci* urbis, passim ad *Rondos* vicum, et *Ñauyan* praedium.
*Floret* Januario, et Februario.

### *GALIUM mucronatum.*

7. G. foliis quaternis linearibus mucronatis aequalibus, corollis quadrifidis, fructibus glabris lacteis.
Planta herbacea.
Caules diffusi, tetragoni, laeves, graciles, ramosi.
Rami consimiles.
Folia quaterna, linearia, mucronata, glabra, aequalia, supra lucida.
Pedunculi duo, oppositi, axillares, solitarii, uniflori, breves.
Corolla alba, quadrifida.
Baccae glabrae, lactis colore.
*Habitat* in aridis *Curis* ad *Tarmam*.
*Floret* Februario, et Martio.

## NERTERIA. Smith. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 17. Icon. XXXIII.

### *NERTERIA repens.* Icon. XC. *Fig. b.*

1. N. foliis ovatis subrotundisque, caule repente.
*Gomozia* (*granadensis*). Linn. *fil. supp. p.* 129.
*Nerteria* (*depressa*). Gaertner. *Sem. p.* 124. *t.* 26.
*Nerteria* (*depressa*). Smith. *Fasc.* 2. *p.* 28. Ic. 28.
Planta herbacea, glabra, succosa, tenera, procumbens.
Radix fibrosa, fibrillis tenuissimis.
Caules ramosissimi, filiformes, teretes, repentes.
Rami axillares, breves, assurgentes.
Folia opposita, petiolata, ovata, subrotunda, integerrima, patentia: aliqua cordata.
Petioli supra sulcati, foliorum ferè longitudine.
Flores in apicibus ramulorum, solitarii, sessiles, parvi, *bracteolis* duabus, minimis, caducis suffulti.
Calyx: *Margo* minimus, superus.
Corolla alba, quadrifida: *laciniis* patentibus, postremò reflexis.
Bacca rubra, nitida, grani piperis magnitudine, puncto obsoleto umbilicata, tenera.
Semina lutea.
*Habitat* in scaturiginibus *Huassahuassi* et *Muña*, inter muscos, et ad rivulorum margines apud *Conceptionem Chile*.
*Floret* à Decembri ad Majum.
*Obs.* Cùm *Nerteriae* nomen *plantam depressam* significet, triviale nomen *depressa* ab Smith impositum, in *repens* mutavimus.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Bacca. 8 Eadem transversim secta. 9 Semina.

## SPERMACOCE. Linn. *Gen. pl. p.* 66.

### CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* quadripartitum: *laciniis* acutis: superum, persistens.
Cor. infundibuliformis. *Tubus* calyce paulò longior. *Limbus* quadrifidus: *laciniis* ovatis, acutis, aequalibus, intus villosis.
Stam. *Filamenta* quatuor, subulata, infra incisuras corollae inserta. *Antherae* lineares, incumbentes, basi bifidae, corollae longitudine.
Pist. *Germen* obovatum, didymum. *Stylus* filiformis, erectus, longitudine tubi corollae. *Stigmata* duo, erecta, oblonga.
Caps. obovata, didyma, bilocularis, calyce coronata, bivalvis; *valvulis* bifidis.
Sem. solitaria, oblonga, extus convexa, intus concava.

### *Habitus.*

*Plantae* suffruticosae, aut herbaceae. *Caules* erecti, aut procumbentes. *Rami* tetragoni. *Folia* connato-vaginantia, nervoso-lineata, plicata. *Vaginae* ciliatae. *Flores* axillares terminalesque, verticillati, capitati, vel corymbosi.

### *SPERMACOCE corymbosa.* Icon. XCI. *Fig. a.*

1. S. foliis lanceolatis nervosis plicatis, floribus dichotomo-corymbosis terminalibus.
Planta suffruticosa.
Caulis bipedalis, erectus, ramosus, teres, subferrugineus, cortice exteriori secedente.
Rami alterni, tetragoni.
Folia connato-vaginantia, lanceolata, nervosa, plicata, integerrima, erecta, supra nitida, glabra.
Vaginae ciliatae, ciliis longis, subulatis.
Corymbi multiflori, terminales, dichotomi.
*Habitat* in *Peruviae* montibus ad *Muña* vicum, in ruderatis et runcationibus *Cormillâ* et *Rinconadâ*.
*Floret* Julio, et Augusto.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Pistillum cum calyce. 5 Capsula calyce coronata. 6 Eadem aperta. 7 Semina.

### *SPERMACOCE assurgens.* Icon. XCII. *Fig. c.*

2. S. foliis lanceolatis lineatis, margine scabris, verticillis parvis.
*Anonymos* americana foliis parietariae scabris, floribus albis, ad foliorum ortum vix conspicuis. Pluk. *Alm.* 33. *tab.* 136. *f.* 4.
Planta perennis.
Caules plures, assurgentes, sesquipedales, purpurascentes, ramosi, tetragoni, angulis retrorsum scabris.

Folia connato-vaginantia, lanceolata, lineata, integerrima, margine retrorsum scabra.
Vaginae ciliatae.
Flores verticillati, sessiles.
Verticilli parvi, multiflori.
Calyces purpurei.
Corolla albo-purpurascens.
Semina nigra, obovata.
*Habitat* in ruderatis *Limae*, *Chancay* et *Huanuci*.
*Floret* per totum annum.
*Vernacule* in *Huanuco* appellatur *Uspica*.
*Obs. Anonymos americana* Plukenet potiùs cum hac plantâ convenit quàm cum *Sperm. tenuiori* Linnaei et cum *Spermacoce* verticillis tenuioribus Dillenii *Hort. Elth. p. 370. t. 277. f. 359.* ideoque cum *Spermacoce nostrâ* conjungenda videtur.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem aperta. 8 Semina.

## *SPERMACOCE capitata.* Icon. XCI. *Fig. b.*

3. S. foliis lanceolatis, verticillis globosis.
Planta suffruticosa.
Caules plures, procumbentes, teretes, ramosi.
Rami assurgentes, tetragoni, purpurascentes, villosi.
Folia connato-vaginantia, sessilia, lanceolata, integerrima, margine retrorsum scabra, lineato-plicata, striata, utrinque glabra, horizontalia, tandem deflexa; *terminalia* quaterna, quorum duo opposita breviora; sub verticillis inferioribus interdum sena octonaque, inaequalia.
Vaginae ciliatae: *ciliis* longis, apice incrassato.
Flores in verticillos capitatos, sessiles, numerosi.
Corolla alba.
Stamina longitudine corollae. *Antherae* incumbentes, subviolaceae.
Stigma capitatum, obsoletè emarginatum.
Semina solitaria, linearia, hinc convexa, inde sulcata, fulva.
*Habitat* in declivibus montium, *Pillao* ad *Iscutunam*.
*Floret* Augusto, Septembri et Octobri.
*Explic. Icon.* 1 Flos cum bracteolis. 2 Stamina. 3 Pistillum. 4 Capsula cum calyce hians. 5 Eadem à calyce libera, aperta. 6 Semina.

## *SPERMACOCE gracilis.* Icon. XCII. *Fig. a.*

4. S. foliis lanceolatis angustis, ramis inferioribus oppositis, superioribus dichotomis, verticillis minimis.
Planta herbacea, semipedalis, glabra.
Radix fibrosa.
Caulis erectus, solitarius, tetragonus, gracilis, ramosus.
Rami *inferiores* oppositi; *superiores* dichotomi, inaequales, tetragoni.
Folia connato-vaginantia, lanceolata, angusta, integerrima, margine scabra, venosa; venis alternis.
Vaginae ciliatae.
Flores axillares, sessiles, verticillati.
Verticilli multiflori, minimi.
Corolla alba, minima.
Capsulae et *Calyces* obsoletè hispiduli.
*Habitat* in *Huanuci* montium declivibus.
*Floret* per totum annum.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Capsula. 3 Eadem aperta. 4 Semina.

## KRAMERIA. Linn. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 14. Icon. III.

### *KRAMERIA triandra.* Icon. XCIII.

1. K. foliis oblongis obovatisque acuminatis, floribus triandris, corollis tetrapetalis.
Planta suffruticosa.
Radix horizontalis, longissima, valde ramosa; cortice crasso, extus atro-rubicundo, interius rubro, sapore intensè stiptico, amaro.
Caulis procumbens, ramosissimus, teres.
Rami diffusi, bi-tripedales, infernè nudi, atri; *teneri* sericei, incani: *centralis* erectus.
Folia sparsa, sessilia, oblonga obovataque, acuminata, integerrima, utrinque sericea, incana.
Flores ex axillis superioribus, solitarii, pedunculati; *foliolis duobus* oppositis ad apicem, lanceolatis.
Corolla extus sericea, intus glaberrima, nitida, laccae coloris.
Nectarium tetraphyllum: *foliola duo superiora* sejuncta, spathulata: *lateralia duo* subrotunda, intus concava, extus veluti squamata.
Stamina tria, incarnata. *Antherae* urceolatae, pube penicilli instar brevissimo terminatae.
Stylus ruber.
Drupa sicca, hirsuta, lappis obscurè rubentibus obsita.
*Habitat* in *Peruviae* declivibus montium argillosis, arenosis, et aridis, per *Huanuci*, *Tarmae*, *Cantae*, *Xauxae*, *Huarocherí*, *Caxatambo* et *Huamalies* Provincias, copiosè prope *Huanuci* urbem, ad *Puelles* collem.
*Floret* per totum ferè annum, sed praesertim Octobri, et Novembri.
*Vernacule Ratanhia* in *Huanuco* dicitur. Tarmenses *Pumacuchu*, id est Calyptram Leonis, et *Mapato*, id est Plantam tomentosam, nuncupant. Hispani tandem *Raiz para los dientes* appellant.
*Vires et usus*: Experientia in dies confirmat, specificum stipticum hujus plantae radicem esse ad sanguinis fluxus sistendos, et dysenterias corrigendas. Ad ulcera gingivarum detergenda maximè opitulatur, ideoque dentes firmat, et ob suam amaritudinem stomachum roborat. Extractum efficaciores vires habet, quàm infusio aut decoctum radicum, quibus Incolae ad dentes detergendos utuntur. Dosis Extracti *Ratanhiae* in adultis drachma una.
*Explic. Icon.* 1 Foliola superiora et inferiora nectarii. 2 Pis-

tillum cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Drupa per medium secta, et Nucleus.

*KRAMERIA* PENTAPETALA. ICON. XCIV. *Fig. a.*

2. K. foliis lineari-subulatis, floribus tetrandris, corollis pentapetalis.

PLANTA suffruticosa.

RADIX ramosa, longissima, horizontalis, extus atra, intus purea.

CAULIS procumbens, ramosissimus, teres.

RAMI alterni, filiformes, graciles: *teneri* subopposîti, assurgentes, villosi.

FOLIA alterna, sessilia, lineari-subulata, integerrima, subtus magis villosa.

PEDUNCULI ex axillis superioribus, solitarii, uniflori, filiformes, tomentosi: *foliolis duobus* ad medium oppositis, subulatis.

COROLLA pentapetala, subpapilionacea, extus villosa, intus obscurè purpurea.

NECTARIUM triphyllum: *foliolo superiori* trifido, pedicellato, purpurascente: *laciniis* ovatis, membranaceis: *duabus lateralibus* subrotundis, concavis, crassis, marginatis, parùm reflexis, lutescentibus.

STAMINA quatuor.

DRUPA sicca, hirsuta, glochidibus hamosis obvallata.

*HABITAT* in collibus argillosis ad *Panatahuarum* Provinciam.

*FLORET* Novembri, et Decembri.

*Explic. Icon.* 1 Flos cum foliolis floralibus. 2 Idem lateraliter visus. 3 Nectarium, Stamina et Pistillum. 4 Nectarii foliola tria. 5 Pistillum.

## EMBOTHRIUM. LINN. *Gen. pl. p.* 62. *Fl. Per. et Chil. p.* 15. ICON. III.

*EMBOTHRIUM* LANCEOLATUM. ICON. XCVI.

1. E. foliis lanceolato-linearibus integerrimis.

FRUTEX biorgyalis, glaberrimus.

CAULIS erectus, ramosus, infernè nudus.

RAMI erecti, teretes, supernè foliosi.

FOLIA sparsa, petiolata, lanceolato-linearia, integerrima, supra nitida.

RACEMI terminales è ramulis teneris, simplices, multiflori, erecti.

FLORES gemini, punicei.

COROLLA usque ad medium quadrifida, infernè longitudinaliter fissa, tandem in quatuor petala disjuncta: *laciniae*, sive *petala* aequalia, lineari-spathulata.

GLANDULA unica sub germine.

FOLLICULUS oblongus, longo acumine, parum compressus.

*Obs.* Cùm corolla spontè decidit, in quatuor partes aequales dividitur, ideoque corolla tetrapetala est.

*HABITAT* in *Regni Chilensis* collibus et montibus altis inter *Conceptionis* urbem et *Arauci* Arcem, praesertim ad *Villagra* collem.

*FLORET* Septembri, et Novembri.

*Obs.* Anno M.DCC.LXIX. et M.DCC.LXX. quo tempore Indi Araucani adversus Hispanos rebellarunt, Hispani milites ab iisdem Indis in *Villagra* colle circumventi hujus plantae semina colligere, et placentis ex eorum farina paratis et coctis vesci ob cibariorum inopiam coacti sunt.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Semen.

*EMBOTHRIUM* EMARGINATUM. ICON. XCV.

2. E. foliis oblongis emarginatis integerrimis.

FRUTEX biorgyalis, glaberrimus.

CAULIS erectus, ramosus.

RAMI teretes, granulosi.

FOLIA sparsa, oblonga, petiolata, emarginata integerrimaque cum brevi acumine, exsucca, coriacea, supra nitida, subtus cinerea.

PETIOLI intus trisulci.

RACEMUS terminalis, simplex, magnus, erectus, multiflorus.

FLORES gemini, *bracteolâ* subulatâ, deciduâ stipati.

PEDUNCULI corollâ duplò breviores.

COROLLA tubulosa, incurva, infernè longitudinaliter fissa, rosacea: *Limbus* quadripartitus; *laciniis* ovatis, concavis.

GLANDULAE nullae sub germine.

FOLLICULI sesquipalmares, ferè cylindrici, cinerei, dependentes, stylo acuminati.

SEMINA alâ longâ terminata.

*HABITAT* in collibus frigidis Provinciae *Tarmae, Huanuci, Panatahuarum* et *Huamalies.*

*FLORET* Septembri, et Octobri.

*VERNACULE* in *Tarma* dicitur *Catas*, et *Machinparrani*, in *Huanuco Picahuai.*

*VIRES ET USUS*: Folia contusa dolores dentium sedant. Indi ad Templa et Simulacra diebus festis decoranda florum racemis utuntur.

*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Calyx cum pedunculo. 3 Pistillum auctum. 4 Semen. 5 Folliculus apertus cum seminibus.

*EMBOTHRIUM* DENTATUM. ICON. XCIV. *Fig. b.*

3. E. foliis obovatis dentatis, marginibus revolutis.

FRUTEX triorgyalis, totus glaberrimus praeter corollam et germen.

CAULIS erectus, ramosus.

RAMI teretes, granulosi.

FOLIA alterna, obovata, petiolata, supernè dentata, supra nitida, subtus albicantia, marginibus revolutis.

RACEMI axillares, multiflori.

PEDUNCULI graciles, flexuosi, quatuor-sex fasciculati.

COROLLA tetrapetala, alba, extus pubescens.

GLANDULAE tres sub germine.

GERMEN pubescens. *Stigma* peltatum.
FOLLICULI purpurascentes.
SEMINA plura.
*HABITAT* in nemoribus, et silvis *Regni Chilensis* ad Provinciam *Rere*, aliàs *Estancia del Rey*.
*FLORET* Decembri, et Januario.
*VERNACULE Piñol* vocatur.
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Semina.

## *EMBOTHRIUM OBLIQUUM.* ICON. XCVII.

4. E. foliis ovatis serratis glabris, petalis apice obliquis.
FRUTEX biorgyalis.
CAULIS erectus, ramosus.
RAMI teretes.
FOLIA alterna, petiolata, ovata, coriacea, è medio ferè ad apicem serrata, glabra, saepe basi inaequali.
RACEMI axillares terminalesque.
FLORES gemini, pedicellati; *bracteolâ* unicâ, ovatâ, acutâ, concavâ, deciduâ sustentati.
PEDICELLI villosi.
COROLLA alba, tetrapetala, patens, extus hirsuta. *Petala* spathulata; apice obliquo, reflexo, acuto: *duo* remotiora; *omnia* infernè leviter cohaerentia.
GLANDULAE tres sub germine.
FOLLICULUS oblongus, obliquus, sessilis, polyspermus.
*HABITAT* in *Conceptionis Chile*, et *Puchacay* Provinciarum montibus, ad *Nonguen* et *Carcamo* tractus.
*FLORET* à Majo ad Octobrem.
*VERNACULE* nomen *Raral* habet.
*Explic. Icon.* 1 Semen.

## *EMBOTHRIUM. MONOSPERMUM.* ICON. CXVIII.

5. E. foliis ovatis serratis lanuginosis, folliculis monospermis.
ARBOR triorgyalis, frondosa.
TRUNCUS erectus, teres.
RAMI erecto-patentes, teretes, granulosi: *teneri* lanuginosi, ferruginei.
FOLIA alterna, simplicia, petiolata, ovata, subtus magis lanuginosa, ferruginea, è medio ad apicem serrata: *tenuiora* integra; *seniora* ultra medium versus basim serrata.
RACEMI axillares, simplices, bipalmares, lanuginosi, ferruginei.
FLORES gemini, breviter pedicellati; *bracteolâ* ovatâ, minimâ, deciduâ suffulti.
COROLLA: *Petala* quatuor, spathulata, revoluta, caduca, alba.
GLANDULAE quatuor sub germine.
ANTHERAE lineares.
STIGMA oblongum.
FOLLICULUS brevis, monospermus; rariùs dispermus.
*HABITAT* in *Peruviae* montibus frigidis prope *Panao* vicum ad *Portachuelo* declivia.
*FLORET* Septembri, et Octobri.
*VERNACULE Pacopaco de la Sierra.*
*Explic. Icon.* 1 Flos. 2 Pistillum. 3 Semen.

## *EMBOTHRIUM PINNATUM.* ICON. XCIX. *Fig. a.*

6. E. foliis simplicibus pinnatisque.
ARBOR quadriorgyalis, frondosa.
TRUNCUS erectus, cortice foetido (odore *Cestri nocturni* simillimo) fusco.
RAMI patentes, teretes, granulis adspersi: *teneri* ferruginei, lanuginosi.
FOLIA alterna, petiolata, venosissima, coriacea, supra glabra, nitida, subtus pubescentia: *juniora* simplicia et impari-pinnata; *simplicia* ovato-lanceolata, serrata, lanuginosa; *pinnata* foliolis obliquè ovatis, acutis, subrhombeis, supernè serratis, intermedio obovato-rhombeo, serrato, aliquando eroso: *seniora* simplicia, obovata oblongaque, è medio serrata.
RACEMI axillares, solitarii, erecti, simplices, subspicati, foliis duplò longiores.
FLORES gemini, breviter pedicellati.
COROLLA parva, rubra, tetrapetala.
GLANDULAE quatuor sub germine.
GERMEN tomentosum.
FOLLICULI acinaciformes, breves, acuminati, dispermi, breviter pedicellati, tomentosi.
*HABITAT* in *Muña* ruderatis et versuris.
*FLORET* Aprili, et Majo.
*VERNACULE Pacopaco.*
